160.2
D775
MAR 7 193

SUMMA PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

II

CRITICA

EDITIO 5a ET 6a EMENDATA ET AUCTA

Scripsit

J. DONAT S. J.

PROFESSOR IN UNIVERSITATE OENIPONTANA



OENIPONTE (INNSBRUCK)
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH
1928

2128

Prooemium ad quintam editionem

In hac nova editione totum librum, servata generali eius indole, ex integro retractavimus, singula, quantum opus esse iudicavimus, clarius perfectiusque et saepe uberius exponentes, aliqua aliter disponentes, complura nova inserentes. Volumen libri 73 paginis auctum est. Praecipuae mutationes sive amplificationes spectant generalem naturam ideae, experientiam sensuum, principia, phaenomenologismum, irrationalismum sive intuitionismum eiusque varias formas.

Oeniponte (Innsbruck), die 1. Junii 1928.

Auctor.

Summa philosophiae christianae. Pars II. Critica. Editio 5ª et 6ª emendata et aucta. Auctore Josepho Donat S. J.

Imprimi potest.

Viennae, die 28. maii 1928.

F. Hatheyer S. J.
Praep. Prov. Austriae.

Nr. 2683.

Imprimatur.

Oeniponte, die 22. Iunii 1928.

Urban Draxl
Prov.

Index[1])

Pag.

Introductio: Definitio et momentum Criticae 2
Notae historicae — variae doctrinae 5
Divisio 8

Caput I

De intellectus aptitudine ad verum cognoscendum

Art. 1. Hanc aptitudinem manifestam esse
Th. 1. Qui initio criticae seriam et universalem dubitationem de aptitudine intellectus ad res cognoscendas statuunt, ad nullam certitudinem perveniunt, sed in scepticismo haerent 10
Th. 2. Licet seria dubitatio perversa sit, dubitatio tamen methodica tum de aptitudine cognoscendi tum de quibuslibet aliis veritatibus merito adhibetur 11
Non omnia demonstranda dubitatio de veritatibus fidei . . . 12
Th. 3. Aptitudo intellectus ad verum cognoscendum manifesta fit ex eo, quod revera in multis nos evidenter veritatem cognoscere videmus 14
Th. 4. Scepticismus igitur, qui universale et serium dubium profitetur, num intellectu rem ullam certo cognoscere possimus, reiciendus est. Nam ut factum internum spectatus impossibilis est, ut doctrina vero consideratus contradictionem involvit et absurdus est, licet eius falsitas ipsis scepticis ostendi nequeat 15
Th. 5. Itaque doctrina Cartesii de fundamento certitudinis et initio philosophandi approbari nequit 19

Art. 2. Aptitudo intellectus ad verum cognoscendum distinctius declaratur

§ 1. De valore obiectivo idearum
Th. 6. Ideas mentis valorem obiectivum habere, plane certum est neque sine absurda contradictione negari potest . . 25
**Th. 7. Itaque idea intellectualis recte similitudo et imago intentionalis obiecti dicitur; atque merito vocatur medium, quo obiectum repraesentatur* 28
*Cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis 32
*Cognitio fit a cognoscente et cognito 34
*De medio in quo 34

[1]) Materiae *asterisco* notatae in cursu breviore salva philosophiae substantia omitti possunt.

Pag.

§ 2. De infallibilitate in iudicando 36

Th. 8. Intellectum in iudicando per se infallibilem esse plane certum est neque sine absurda contradictione negari potest. Attamen intellectus fallibilis est per accidens . . 37

*§ 3. Conspectus doctrinarum modernarum 41

Caput II

De veritate et certitudine

Art. 1. De veritate 43

Th. 9. Veritas logica est conformitas cognitionis (seu adaequatio intellectus) cum re 44

Th. 10. Veritas tantum in iudicio invenitur; sed etiam falsitas ei inesse potest. Apprehensio vero, quae nihil affirmat, neque veritatem neque falsitatem continet . . . 49

*Quaedam apprehensiones veritatem participant 52

**Th. 11. Veritas gradus quidem non admittit, quatenus omnem falsitatem excludit, admittit autem spectata conformitate. Item falsitas gradus admittit* 53

Art. 2. Quales status mentis in assequenda veritate distinguendi sint 54

Art. 3. De errore 57

Art. 4. De opinione et probabilitate 59

**Th. 12. Sententia aliqua potest esse probabilis, etsi opposita sit etiam probabilis, immo probabilior; potest insuper intellectus unam sententiam opinando ut veram et simul oppositam ut probabilem tenere* 61

*Gradus probabilitatis 62

Art. 5. De certitudine

§ 1. De certitudine in genere 62

Th. 13. Certitudo est assensus firmus in veritatem cum exclusione formidinis errandi. Attamen prudens tantum, non vero imprudens formido a certitudine excluditur . . 62

Certitudo obiectiva 65

**Th. 14. Certitudo gradus admittit, non quidem spectata exclusione formidinis errandi, attamen spectata firmitate assensus* 65

§ 2. De speciebus certitudinis 66

Th. 15. Certitudo assensus alia necessaria, alia libera est 67

Iudicium et perspicientia. Perfecta et imperfecta claritas obiecti 70

**Th. 16. Sola certitudo metaphysica est certitudo absoluta, tamen etiam certitudo physica et moralis sunt vera certitudo* 73

*Certitudo moralis late dicta et respectiva 76

Pag.

Th. 17. Praeter certitudinem scientificam etiam certitudo naturalis legitima certitudo esse potest eiusque reiectio vehementer improbanda est. Proinde non omnis certitudo ab inquisitione scientifica pendet, licet per eam multum perficiatur 77

Th. 18. Neque valori certitudinis naturalis obstat, quod etiam circa veritates altiores versatur, vel quod homines rationem eius reddere saepe nequeunt 82

Corollaria practica 84

Art. 6. De criterio veritatis et motivo certitudinis

§ 1. Criterium esse evidentiam obiectivam 86

Th. 19. Ultimum et universale criterium veritatis et motivum certitudinis est evidentia obiectiva 89

Momentum criterii statuendi 90

***§ 2.** De falsis criteriis

**Th. 20. Praeter evidentiam obiectivam varia alia statuuntur criteria, quibus genuina veritatis cognitio depravatur* 91

Caput III

De experientia

Art. 1. Praenotationes

Fontes certitudinis — De facultatibus cognoscitivis 95

Art. 2. De experientia interna 99

§ 1. De testimonio conscientiae

Conscientia, directa et indirecta 99

Th. 21. Conscientia est medium per se infallibile, quo exsistentiam variasque proprietates actuum psychicorum, praeterea proprii ego et speciatim corporis nostri exsistentiam cognoscimus 101

De actibus psychicis inconsciis 105

*De cognitione animae 106

§ 2. De erroribus conscientiae 107

***§ 3.** De reminiscentia 109

Art. 3. De experientia externa

§ 1. De statu quaestionis 110

Quaestio psychologica 111

Quaestio critica 115

§ 2. Exsistere res externas easque corporeas 116

Th. 22. Sensus externi certo manifestant extra nos exsistere res, quae sensationum causae sunt 116

Th. 23. Sensus externi, risus praesertim et tactus certitudinem praebent exsistere, extra nos corpora 118

Utrum externa immediate cognoscamus necne 121

Th. 24. Ad acquirendam certam notitiam de determinata

Pag.

magnitudine, figura, distantia, de motu vel quiete plerumque visus et tactus non sufficiunt, sed simul alia media adhibenda sunt 123
§ 3. De qualitatibus sensibilibus 127
*Sententia asserens colores et lucem formaliter esse extra sensationem 129
*Sententia asserens colores et lucem causaliter tantum extra nos esse 131
*§ 4. De spatio et tempore (Quaestio critica — psychologica — Sententia kantiana) 134

Caput IV

De cogitatione mentis

Art. 1. Dei ideis universalibus 139
§ 1. Praenotanda
Quid sit idea universalis — Historia quaestionis 140
§ 2. De valore obiectivo idearum universalium
Th. 25. Ideae universales ita valorem obiectivum habent, ut id, quod concipitur, in ordine rerum sit, non autem modus, quo concipitur. Hinc universale formaliter spectatum in mente est, attamen cum fundamento in re . . . 145
Th. 26. Contra nominalismum veterem et sensismum tenendum est, nos habere ideas universales ex vera abstractione ortas, quae abstractio immerito reicitur 149
Th. 27. Ex dictis consequitur etiam conceptualismi et realismi extremi doctrinas erroneas esse, et illam quidem, quod immerito ideis universalibus valorem obiectivum deneget, hanc vero, quod asserat universale formaliter in ordine reali esse 154
Art. 2. De principiis
§ 1. De principiis generatim 155
*§ 2. De principio contradictionis et rationis sufficientis . . 157
**Th. 28. Principium contradictionis merito primum cognitionis principium dicitur, non quod omnis veritas ex eo deduci possit, sed quia omnis certitudinis fundamentum est* 157
*Art. 3. De ratiocinatione
De deductione — inductione 160
Art. 4. De ambitu cogitationis humanae
Th. 29. Intellectus cogitando causas et essentias rerum et sic etiam supersensibilia certo cognoscere potest. Sed in his cognoscendis continuo ab experientia pendet 164
*Art. 5. De phaenomenologismo 170
**Th. 29. In phaenomenologismo approbandum est, quod veritatem obiective et exacte inquirere studet; quo inter*

Pag.

alias doctrinas hodiernas excellit. Attamen sub multiplici respectu a genuina interpretatione cognitionis graviter deflectit 173

Caput V

De falsis doctrinis criteriologicis

Art. 1. De idealismo

Quid sit — Species — Historia idealismi 176

Th. 30. Idealismus reiciendus est. Etenim ut factum spectatus impossibilis est, ut doctrina vero consideratus manifestas contradictiones includit et absurdus est, licet eius falsitas ipsis idealistis ostendi nequeat 183

Art. 2. De subiectivismo 185

Th. 31. Subiectivismus naturam cognitionis et veritatis vitiat, fundamenta religionis et moralitatis labefactat et ad veritatis vilipensionem et scepticismum ducit 187

Art. 3. De criticismo Kantiano 189

Systematis expositio 190

Th. 32. In systemate critico Kantii multa sine ratione sufficienti statuuntur et graves contradictiones continentur. Idem systema non solum omnem genuinam metaphysicam destruit, sed etiam ad plenum scepticismum ducit atque germina gravissimorum aetatis nostrae errorum continet 202

Quid Kant de philosophia morali et de religione doceat . . 205

Art. 4. De positivismo sive agnosticismo

Notio — Notae historicae — Magna haeresis hodierna . . . 207

Th. 33. Positivismus sive agnosticismus certis veritatibus de humana cognitione adversatur, naturae humanae iniuriosus est, et, si sibi constare vult, omnem scientiam delet 214

Art. 5. De irrationalismo

§ 1. De conceptu et speciebus irrationalismi

Irrationalismus generatim — fideismus — intuitionismus . . 216

§ 2. Historia irrationalismi 223

§ 3. Iudicium de irrationalismo

Th. 34. Irrationalismo hoc verum inest, quod veritates metaphysicas cognitione quidem intellectuali, attamen plerumque indistincta et emotionibus circumdata apprehendimus, quae species apprehensionis appetitivae sive intuitionis induit. Attamen perperam ab irrationalistis cum proprie dicta apprehensione affectiva et intuitione confunditur 231

Th. 35. Quatenus irrationalismus docet nos res metaphysicas non cognitione discursiva rationis, sed fide appetitiva vel intuitione apprehendere, verae naturae et digni-

Pag.

tati cognitionis adversatur et genuino idealismo valde damnosus est 235

Art. 6. De pragmatismo 240

Th. 36. Pragmatismus, licet aliqua sana veritatis semina contineat, tamen sine dubio naturae veritatis graviter adversatur et dignitatem veritatis religiosae ac moralis destruit 241

Art. 7. De relativismo 245

Th. 37. Absonum est dicere, non exsistere veritatem absolutam et immutabilem, sed tantum relativam et mutabilem 246

Evolutio mentis humanae — Progressus intellectualis . . . 248

Art 8. De modernismo 250

Th. 38. Modernismus spectatis fundamentis suis philosophicis est moderni agnosticismi et fideismi copulatio. Ideo simili ratione naturae cognitionis, religiosae praesertim, adversatur et religioni perniciem infert 252

Caput VI

De fide et testimonio

Art. 1. De testimonio historico 256

De methodologia historica 257

Th. 39. Testimonium historicum orale immediatum sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit 258

Th. 40. Etiam testimonium mediatum orale sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit 259

Th. 41. Pariter testimonium scriptum sub quibusdam condicionibus certitudinem praebet 261

Interpretatio 263

Art. 2. De testimonio humano doctrinali

I. De auctoritate doctrinali personali 264

II. De auctoritate generis humani 265

Th. 42. Consensus generis humani sub quibusdam condicionibus certum veritatis testimonium est 266

Art. 3. De fide divina 267

Th. 43. Fidei obligatio non contraria, sed admodum consentanea est iuribus rectaeque libertati mentis humanae . 268

Th. 44. Libertas cogitandi et scientiae ita accepta, ut a modernis eius defensoribus intellegi solet, cum natura intellectus et veritatis pugnat et, coniuncta praesertim cum libertate docendi et scribendi, valde perniciosa est . . . 272

Introductio

Homines cognitionem rerum, quales in se sunt, eam- 1
que quam perfectissimam intenso prosequuntur conatu tum ob fines practicos, ut necessitatibus vitae provideant et ordinis moralis religiosique leges cognoscant, tum ideo, quia ipsa rerum cognitione delectantur. Hoc continuae pueruli quaestiones multoque magis hominum adultorum cultus scientiarum ostendunt.

Et primum quidem homines *experientia,* tum interna conscientiae tum externa sensuum experientia, facta interna et externa cognoscunt, et persuasum sibi habent ea realia extra cognitionem exsistere. Inde *cogitatione* ad investiganda factorum et phaenomenorum permanentia subiecta corporalia et spiritualia eorumque essentias ac proprietates, ad cognoscendas veritates generales metaphysicas, morales, religiosas atque ad investigandum omnium rerum principium progrediuntur. In quibus denique tertio cognitionum fonte, *fide* humana et divina, iuvantur. Has cognitiones homines tum vulgari modo sibi acquirunt tum scientifice excolunt et in systemata redigunt.

Porro in his omnibus, nisi studiosa reflexio impediat, *naturali certitudine* hominibus persuasum est, se suis facultatibus cognoscitivis ad veras rerum, quales in se sunt, notitias pervenire posse. Atque id recte quidem; et in hac cognoscendi facultate praecipua humanae naturae gloria consistit. „Cognoscendo [enim] omnia intellectus quodammodo fit omnia . . Hinc est, ut homo praecipue per intellectum sit microcosmus, quia, quot species rerum sunt in mundo,

tot possunt poni intentionaliter in intellectu; etiam imago fit Dei, quia sicut Deus est pelagus omnis . . perfectionis, in quo primo est omnis perfectio, sic intellectus est pelagus secundarium, in quod a Deo confluunt omnes perfectiones obiectorum et rerum."[1])

Sed haec vulgaris certitudo et fiducia, quam natura duce facultatibus cognoscendi adhibemus, nondum coniuncta est cum reflexa et *scientifica* cognitione fundamenti, cui innititur, quo iure nimirum istam fiduciam habeamus; neque satis perspiciuntur varia cognitionum indoles, limites, cautiones, quae in earum usu adhibendae sunt. Praeterea, quando mens humana sublimiores scientias sectatur, continuo magnam imbecillitatem experitur, qua fit, ut nonnisi cum labore progrediatur, multos committat errores, in omnibus quaestionibus maximam videat opinionum varietatem. Sic sponte efficitur, ut mens ad quaestionem reflexa cognitione agitandam convertatur, num et intra quosnam limites facultates cognoscitivae veritatem cum certitudine invenire valeant. Quae quaestiones historia teste ab antiquis temporibus motae sunt idque ita, ut continua vicissitudine sicut lux et umbra invicem exciperent hinc strenui mentis conatus ad veritatem assequendam et ad systemata vere philosophica statuenda, ut in Platone, Aristotele, scholasticis, illinc sceptica consilia tum antiquo tum recenti tempore.

2 **Definitio et momentum criticae.** 1. Disciplina, quae hanc philosophicam in facultates cognoscitivas inquisitionem instituit, critica (noetica, logica materialis, Erkenntnistheorie, critériologie, idéologie) vocatur.

Nomen „critica" originem petit a titulo operis: „Critica rationis purae" (Kritik der reinen Vernunft 1781), in quo Kant in aptitudinem rationis ad veritatem assequendam inquirit.

Critica *definiri* potest ‚scientia de veritate cognitionis' seu paulo fusius ‚disciplina philosophica, quae verae cer-

[1]) *Silv. Maurus,* Quaest. philos. I q. 4.

taeque cognitionis facultatem et exsistentiam, fontes, criteria, limites inquirit'. Scrutatur enim, sitne intellectus ad res ipsas, quales in se sunt, cognoscendas aptus et quae sit veritatis et certitudinis natura, deinde inquirit, quasnam cognitiones per experientiam, per cogitationem mentis, per testimonium alienum tuto assequi possimus et quae sit horum generum cognitionis mutua relatio et quales sint cognitionis humanae limites.

2. *Differt* igitur critica a *logica* seu dialectica. Logica 3 solum de formali rectitudine cognitionum seu de earum conformitate cum legibus cogitandi agit, sed data opera non inquirit, sintne etiam rebus conformes seu verae rerum ipsarum cognitiones, an vero mentis tantum subiectivae fictiones. Attamen ambae scientiae arcte cohaerent et a multis in unum „logicae" corpus coniunguntur; alii vero has scientias magis separantes nomen logicae soli dialecticae reservant.

Differt porro critica a *metaphysica*. Agit quidem etiam critica de supremis conceptibus et principiis, sed non eo modo, quo metaphysica. Metaphysica enim, generatim supponens conceptuum et principiorum valorem obiectivum, id imprimis, quod enuntiant, considerat, critica vero eorum valorem obiectivum explicandum et demonstrandum suscipit. V. g. metaphysica de pulchro, tempore, spatio, substantia, fine, de principio causalitatis ita agit, ut internam harum notionum et principiorum comprehensionem et vim investiget; sed ea esse notiones obiectivas ac veritates, non vero figmenta mentis, metaphysica potius supponit demonstratum esse in critica, quam data opera probat. Sed ipsa etiam nonnumquam integritatis causa tales quaestiones tractationibus suis immiscet.

Differt denique critica a *psychologica* cognitionis tractatione, quippe cuius non est cognitionum veritatem, sed potius naturam internam, originem, successionem et alia huiusmodi investigare.

Multis philosophis huius aetatis, principiis idealismi irretitis, cognitiones fere tantum actiones subiectivae et phaenomena psycho-

logica esse videntur, parum autem repraesentationes ordinis obiectivi sunt; ideo doctrinam cognitionis a psychologia discernere fere nesciunt, sed, sicut etiam logicam, pro *parte psychologiae* vel pro eius applicatione habent, immo omnes fere quaestiones philosophicas, religiosas, morales, aestheticas in problemata psychologica convertunt. Cui philosophandi rationi nomen *psychologismus* tribuitur; qui ceteroquin recentissimo tempore decrescit.

Propter similem defectum firmae persuasionis de realitate ordinis obiectivi fit, ut critica non raro *cum metaphysica confundatur* seu potius methapysica in criticam convertatur. Nonnumquam quidem etiam metaphysica distinctius explicare debet, qua ratione quosdam conceptus, ut substantiae, causae, spatii, temporis, legitime formemus; nihilominus utriusque scientiae discrimen manifestum est.

4 3. Ex his colligitur, criticam eatenus *primam scientiam* esse, quatenus de ipsa sciendi facultate tractat. Sicut apologetica theologiae fundamentum praebet fontes eius explicando, ita critica omnibus scientiis *fundamentum sternit* et tuetur. Ita mathematica, nisi scientia imaginaria evadat, realitatem dimensionum et numerorum et varia principia metaphysica supponere debet. Scientiae empiricae, quae de natura anorganica, de plantis, de vita psychica, de historia, de linguis agunt, nituntur in veracitate experientiae, in rerum et conceptuum (causae, materiae, virium animae) realitate, in veritate multorum principiorum, quibus continuo utuntur; quae scientiae aetate recentissima veneno scepticismi ex philosophia hausto infici coeperunt. Praesertim vero ob grassantem agnosticismi et subiectivismi morbum philosophia (metaphysica), apologia et theologia, vita religiosa et moralis nostra aetate opus habent, ut critica mentis aptitudinem ad cognoscendam veritatem, supersensibilem praesertim, tueatur.

4. Ex iis huius scientiae *momentum* elucet. Cum enim de scientiarum et totius vitae humanae fundamento agat, errores, qui in ea committuntur, tristissimos et late patentes fructus gignere et rectam mundi vitaeque scientiam depravare solent. Non est dubium, quin perniciosissimi errores moderni et aegritudines recentioris culturae intellectualis ex falsis principiis de natura et potestate cogni-

tionis humanae oriantur. Nam neglectio illa vel contemptus veritatum supersensibilium, funesta separatio religionis ab intellegentia, effrenis in cogitando licentia, illa sceptica aetatis mens non aliunde originem petunt nisi ex falsis opinionibus de humana cognitione.

Notae historicae. Primum philosophi graeci quaestiones criteriologicas moverunt. Contra Sophistas *Socrates* iura rationis defendit. *Plato* († 347 a. Ch.) magnopere cognitionem intellectualem celebrat. Aptius cogitationem mentis cum sensuum experientia *Aristoteles* († 322 a. Ch.) coniungit. Post eos Stoici et Epicurus in quendam *sensualismum*, alii in *scepticismum* incidunt; Neoplatonici e contrario immoderato *theosophismo* addicti sunt.

Aetate christiana inter alia praecipue quaestio de relatione inter fidem et scientiam movebatur. Post SS. Patres doctores *scholastici* systematicam quidem et completam cognitionis doctrinam non statuerunt, attamen sparsim in logica, metaphysica, theologia vera principia de scientia et fide, de veritate ac certitudine, de universalibus, de relatione inter sensum et intellectum proponunt, quae ubique firmam eorum in veracitatem facultatum fiduciam ostendunt. Qua firma confidentia effectum est, ut magnificum humanae scientiae artificium exstruerent.

Haec igitur „maxima est accusatio, quae adversus philosophiam antiquae aetatis [scholasticam] proferri solet. Dicitur de sciendi condicionibus ac limitibus sibi rationem non reddidisse ideoque non solum firmo caruisse fundamento, sed etiam propter eius defectum a veritate aberrasse". Attamen philosophi moderni „supponere debuerunt, illos philosophos magnos, qui antiquo tempore philosophiam tantopere promoverant, rectis sententiis de principiis speculationis ductos fuisse. Intellegere debuerunt, sui muneris quidem esse, quae praesto erant, perficere, non autem ex primis fundamentis novum aedificium con-

struere . . Ita etiam in philosophia in firmo mansissemus fundamento".[1])

6 Sed *nominalismus,* qui saec. 14 invalescebat et valorem obiectivum idearum universalium negabat, multorum animos dubiis scepticis infecit et recentem praeparavit subiectivismum. Simul terrarum transmarinarum inventio, commercii inde et divitiarum augmenta, scientiarum naturalium progressus, maxime vero studium renascens et immoderata veneratio antiquitatis animos a pristinis moribus studiisque abstrahebant atque plenam vitae socialis, mentium et cogitationum mutationem in orbem occidentalem inducebant. Quae mutatio eo facilius accidit, quo citius et latius typi inventi ideas novas spargebant. Hinc veterum traditionum contemptus et desiderium non tantum vitae socialis immutandae, sed etiam novi aedificii philosophiae construendi ortum est.

Id variis primum conatibus apparuit, donec *Cartesius* († 1650) in Gallia, *Baco* († 1626) et *Locke* († 1704) in Anglia nova reformatae philosophiae fundamenta posuerunt, incipientes, id quod consilio consentaneum erat, ab inquirenda mentis humanae indole, num aliquid et quidnam cognoscere possit. Cartesius recentis subiectivismi semina sparsit. In Anglia empirismus natus est, cui postmodum positivismi nomen inditum est. Praecipuus eius auctor fuit

---

[1]) *Kleutgen:* Das nun ist „die hauptsächlichste Anklage, welche man wider die Philosophie der Vorzeit zu erheben pflegt. . Sie soll es versäumt haben, sich über die Bedingungen und Grenzen alles Wissens Rechenschaft zu geben, und darum nicht nur einer festen Grundlage entbehrt haben, sondern auch durch den Mangel derselben, ohne zu gewahren, auf Irrwege geleitet worden sein." Aber die neueren Philosophen „mußten voraussetzen, daß jene großen Denker, welche in der Vergangenheit die philosophische Erkenntnis so weit gefördert hatten, von richtigen Ansichten über die Prinzipien der Spekulation geleitet waren . . Sie hätten einsehen müssen, daß es wohl ihre Aufgabe sein könne, das Bestehende auszubauen und zu vervollkommnen, aber nicht ein von der ersten Grundlage an neues Gebäude aufzuführen . . Wir würden auch dann in der Philosophie auf festem Boden geblieben sein". Philosophie der Vorzeit[2] (1878) n. 12 10.

Locke, e cuius asseclis *Berkeley* († 1753) ad idealismum, *Hume* († 1776) vero usque ad scepticismum progressi sunt. Utrumque idealismi et empirismi errorem *Kant* († 1804) in criticismo suo coniunxit. Kant saec. 19 aliquamdiu e scena recessit. Sed deinde non tantum philosophi et theologi protestantici, sed etiam scientiarum naturalium cultores eius principia assumpserunt, qui adhuc passim variis modis ac formis mentes inficiunt.

Huic evolutioni philosophiae modernae *protestantismus* multum favit, qui, utpote philosophiae scholasticae et auctoritatis inimicus, principium liberae inquisitionis (freie Forschung) proclamavit et subiectivismum in theologiam primum et res religiosas, deinde etiam in philosophiam invexit.

Quod *praesentem aetatem* attinet, duplex potissimum 7
in nostra re agitatur quaestio:

1" *quaestio* est, utrum intellectus et sensus res, quales in se sunt, cognoscant necne. Sub hoc respectu inter se opponuntur *realismus,* qui affirmat, et *idealismus,* qui id negat asserens, hominem nihil nisi suas repraesentationes subiectivas cognoscere; qui igitur a scepticismo parum differt. Cum idealismo *subiectivismus* cohaeret, qui intellegere non valet, cognitiones ad obiecta a nobis distincta referri et ab iis debere regi, sed profitetur, subiectum ipsum sibi normam cognitionis esse ideoque etiam plena in cogitando libertate frui. Idealismus eiusque concipiendi ratio nunc mentes vehementer regit; sed ex aliquo tempore conversio ad realismum aucta est.

2" *quaestio* est, quinam sint cognitionum fontes. Sub hoc respectu hae doctrinae distingui possunt: a) *Positivismus (agnosticismus)* solam experientiam fontem certae cognitionis habet; qui error vehementer nunc mentes inficit. b) *Irrationalismus* (intuitionismus, fideismus, immanentismus) rerum superempiricarum apprehensionem admittit et tueri vult, attamen, cognitioni intellectuali discursivae diffidens, eam alicui experientiae confictae tribuit, nempe vel affectivam quandam apprehensionem ex interna indigentia pro-

venientem vel immediatam intuitionem statuens; sic in subiectivismo haeret. c) *Intellectualismus genuinus* scholasticus experientiam cum cognitione apte coniungit.

3. Si generatim fiducia spectatur, quae cognitionibus nostris tribuitur, distingui solet *methodus dogmatica,* quam vocant, quae sine examine omnibus cognitionum generibus fidit, et *methodus critica,* quae de veracitate et limitibus cognitionis examen instituit. Manifestum est, tale examen laudandum et in scientia de cognitione instituendum esse. Sed examen recte institui oportet, non e. g. sicut criticismus kantianus, quippe qui haud multum a scepticismo differt.

Horum systematum falsorum refutationes systematicae cognitionis tractationi suis locis inseremus.

8 **Divisio.** Materiam tractandam ita dividemus, ut primum generatim de intellectus aptitudine ad verum cognoscendum agamus exponentes, quomodo de hac aptitudine recte ratio reddatur. Postquam hoc ostensum itaque simul indoles cognitionis explicata fuerit, rectas veritatis et certitudinis notiones exponemus. Deinde de tribus certitudinis fontibus agemus, ex quibus veras certasque cognitiones haurimus, primum de experientia, deinde de cogitatione mentis, refutantes simul praecipuos errores modernos de cognitione intellectuali, denique de fide agemus.

Caput I

De intellectus aptitudine ad verum cognoscendum

Art. 1. Hanc aptitudinem manifestam esse

Cum critica sibi proponat de cognitione veritatis examen 9
instituere, sponte haec prima quaestio se offert, habeatne intellectus generatim facultatem ad verum cognoscendum sive ad res cognoscendas, ut in se sunt. De intellectu haec quaestio instituitur. Duplex quidem genus facultatum in nobis est, sensus et intellectus. Sed cognitio veritatis ad intellectum spectat, qui solus veritatem ut talem apprehendere, ei iudicando adhaerere, eam per certitudinem possidere potest. Et inquisitio in hanc facultatem intellectus per ipsum intellectum facienda est. Aliud enim medium non habemus. Sed hinc difficultas oritur, quo iure intellectus, de cuius ad cognoscendum aptitudine demum examen instituitur, iam ad cognitionem et ipsum hoc examen adhibeatur; videmur circulum vitiosum committere, quia quaerentes de aptitudine intellectus simulque huic quaestioni per intellectum respondentes eandem aptitudinem iam supponere videmur, de qua quaerimus. Haec est difficultas exordio criticae propria. — Duplici via procedi potest:

1° Potest quis ad inquisitionem istam *cum dubio serio* accedere, sitne revera intellectus aptus, ut res cognoscat, quales in se sunt. Animadvertit utique, intellectum cum evidentia multa ut vera et certa exhibere, velut propriam hominis exsistentiam, principia immediata et alia; in quo aptitudo eius ad verum manifestatur. Attamen non fidit

huic intellectus evidentiae, sed serio timens, ne sit naturalis illusio, evidentiam istam demum examinare intendit, num ei fidere possit. Haec est methodus criticismi falsi, cui iam Cartesius praelusit quamque Kant in „Critica rationis purae" sequitur et ex modernis, qui scholastici non sunt, plurimi.

2⁰ Potest quis ita procedere. Videt esse absurdum non contentum esse evidentia, cum plus quam evidentia desiderari nequeat. Itaque de evidentia non serio dubitat. Sed videre vult, sitne revera facultas intellectus ad verum evidens, vel immediate vel saltem mediate, et si hoc posterius locum habeat, num certa argumenta praesto sint. Quae ratio inquirendi *dubium methodicum* vocatur. Hanc viam ingredimur.

Haec methodus recta a quibusdam *„dogmatismus"* appellatur. Sed cum ista famosa voce tantum illa methodus significetur, quae sine ratione sufficienti firma asserta statuit et quae speciatim in nostra re caece facultatibus cognoscitivis fidit, revera dogmatismum non statuimus, quia nostrae in mentis aptitudinem fiduciae rationem reddimus.

Primum igitur exponemus, quae sit recta via in hac quaestione. Deinde aptitudinis intellectus ad verum cognoscendum rationem scientificam reddemus.

Th. 1. Qui initio criticae seriam et universalem dubitationem de aptitudine intellectus ad res cognoscendas statuunt, ad nullam certitudinem perveniunt, sed in scepticismo haerent.

10 **Declar.** Supra iam indicavimus, hanc esse frequentissimam philosophorum modernorum methodum Kant hac in re sequentium, ut criticam exordiantur cum seria dubitatione de intellectus aptitudine ad verum cognoscendum. Ostendimus, talem methodum non ducere ad finem, quem quis forte intenditur, ut certitudo stabiliatur, sed ad contrarium.

Propterea maxime dubitare solent, sitne mens ad verum cognoscendum apta, quod actus mentis intra nos, res vero cognoscendae extra nos sint (de quo dubio infra agemus). Ita enim fere

ratiocinantur: „Actus psychici sunt accidens animae meae neque ex mente mea egredi possunt . . quo ipso vulgari realismo fundamentum subtractum est . . Talis critica pure negativa per se solam proxime tantum ad nescientiam et ad illum scepticismum ducit, qui ad instar stationis mediae inter dogmatismum vulgarem et criticismum positivum omitti non potest.“[1])

Demonst. Qui serio de generali intellectus aptitudine ad res cognoscendas dubitat, eo ipso implicite etiam de aptitudine omnis actus dubitat, quo certitudinem acquirere intendit, vel de ipsa hac aptitudine intellectus vel de qualibet alia re. Ergo qui initio criticae seriam et universalem dubitationem de aptitudine intellectus statuunt, ad nullam certitudinem perveniunt itaque in scepticismo haerere debent.

Alio modo. Ita dubitans absurdum circulum committit, quia per hunc eundem intellectum, de cuius aptitudine ad verum cognoscendum dubitat, certo cognoscere vult, quae sit intellectus indoles vel quid in alia quaestione tenendum sit.

Th. 2. Licet seria dubitatio perversa sit, dubitatio tamen methodica tum de aptitudine cognoscendi tum de quibuslibet aliis veritatibus merito adhibetur.

Declar. *Dubitatio methodica* illud dubium intellegitur, 11
quod de aliqua veritate fingitur, donec evidentia eius appareat. Qui proinde eam adhibet, certitudinem, quam habitualiter possidet, non retractat, sed ita dispositus est, ut solum ea admittere velit, quae vel immediate evidentia vel saltem sufficienter probata sint. Itaque se sibi opponit et sibi quasi nescienti conatur rei vel immediatam evi-

[1]) *Ed. v. Hartmann*. „Das Bewußtsein [Vorstellung, Gedanke] ist Akzidens meiner Seele und kann aus meiner Innerlichkeit nicht heraus . . damit ist dem naiven Realismus jeder Boden entzogen . . Eine solche rein negative Kritik kann für sich allein zunächst nur zum Nichtwissen führen, zu jener skeptischen Weltansicht, welche als Durchgangspunkt zwischen naivem Dogmatismus und positivem Kritizismus unentbehrlich erscheint.“ Das Grundproblem der Erkenntnistheorie I 2 c.

dentiam vel convincentia argumenta ostendere. Haec dubitatio vel est *partialis*, de aliqua tantum veritate, vel *universalis*, de aptitudine veritatis cognoscendae generali. Haec posterior solum in exordio criticae locum habet.

Demonst. Dubitatio methodica de facultatum ad cognoscendum aptitudine et de aliis, licet evidentibus, veritatibus merito adhibetur, si a) non eo ipso certitudo earum suspenditur, ut fit in seria dubitatione, id quod absurdum esse ostendimus, et b) si aptissima est, ut huius certitudinis ratio explicetur. *Atqui* utrumque ita est. Ergo.

a) Dubitatione methodica certitudinem non suspendi colligitur ex conceptu dubitationis methodicae, quippe in qua dubium de veritate tantum fingitur.

b) Alterum aeque apertum est. In dubitatione enim methodica in fundamentum certitudinis investigatio instituitur vel immediatam evidentiam vel convincentia argumenta quaerendo. Quare in omnibus scientiis, theologia non excepta, talis dubitatio adhibetur et adhiberi debet.[1])

Hanc igitur dubitationem instituemus de valore obiectivo et infallibilitate cognitionis intellectualis in genere, de certitudinis motivo, de sensibus et aliis, ut persuasio naturalis de valore cognitionis nostrae ad scientificam evehatur.

Hinc simul liquet, criticam esse scientiam, quae vere nullo supposito nitatur[2]), nimirum eo sensu, quod non e placitis proficiscatur, quorum evidentem rationem non reddat, attamen non sic, quasi de omnibus prius serio dubitare debeat.

12 **Scholion.** 1. Non tamen postulari potest, ut *omnia demonstrentur*. Demonstratur enim aliquid, si ex alio (cum certitudine) infertur. Iam vero superfluum et impossibile est omnia ex alio inferre. Superfluum est, quia multae

[1]) *S. Thomas* passim quaestiones suas incipit in dubitantis modum: „Utrum Deus sit", „Utrum Filius alius sit a Patre". Cf. etiam *S. Augustinum*, e. g. De civ. Dei XIX c. 18; De libertate II c. 2 et alibi. — [2]) Voraussetzungslos.

veritates immediate evidentes sunt, e. g. principium contradictionis. Impossibile est, quia non omnia in infinitum per alia demonstrari possunt, sed tandem quaedam se ipsis manifesta esse debent.

2. Ergo homo catholicus etiam *fidei veritates* assensu 13
fidei minime retractato stricto examini scientifico subicere potest. Nam ad tale examen non requiritur, ut veritas, certa iam et manifesta, serio in dubium vocetur. Finis enim inquisitionis scientificae non semper is est, ut veritas detegatur, sed ut vel inveniatur vel, si iam inventa est, id quod accidit in veritatibus fidei, distincte declaretur et demonstretur. Neque etiam quisquam nisi stultus ad veritates mathematicas dudum ab omnibus admissas ita examinandas accedit, ut eas interim seria mente dubias existimet.

Quod illi non pauci ignorant, qui inquisitionem scientificam sine serio dubio fieri non posse opinantur ideoque saepe inquisitionem theologi vel philosophi catholici non veram scientiam habent, quod *non libera*, sed ligata sit, quoniam prohibeatur veritates fidei „in dubium [scil. serium] vocare".

Immo non raro a modernis negatur, ullas esse *veritates stabiles*, quoniam omnes veritates quolibet tempore seriae dubitationi subicere liceat vel etiam oporteat.

Illi ita fere loquuntur: „Ex initio saec. 18 nova scientiae notio locum obtinuit et universitates sibi subiecit: scientia non est doctrina absoluta, sed inquisitio continuo examinanda."[1]) „Ex quo sequitur, non posse esse philosophiam absolutam et immutabilem, sed eam semper paratam esse debere ad omne, quod firmatum esse videbatur, secundum novas cognitiones denuo examinandum."[2]) „Per labefactionem

[1]) *A. Harnack:* „Unter schweren Krisen setzte sich seit dem Anfang des 18. Jh. ein neuer Begriff von Wissenschaft durch und unterwarf sich die Universitäten: Wissenschaft ist nicht abgeschlossene Lehre, sondern stets zu kontrollierende Forschung." Die Aufgabe der theol. Fakultäten (1901) 17. — [2]) *F. Paulsen:* „Damit ist gegeben, daß es keine abgeschlossene und unveränderliche Philosophie geben kann, daß sie jederzeit bereit sein muß, jeden Punkt, der festgestellt schien, an den neuen Einsichten einer Revision zu unterziehen." Die deutschen Universitäten (1902) 304 s.

eius, quod verum habetur, omnis philosophus magnus pertransiit eademque labefactatio unumquemque ad philosophiam ducit."[1])

Th. 3. Aptitudo intellectus ad verum cognoscendum manifesta fit ex eo, quod revera in multis nos evidenter veritatem cognoscere videmus.

14 **Demonst.** Si clare videmus, nos saltem saepe cum evidentia veritatem cognoscere, manifestum fit, intellectum habere aptitudinem, ut, saltem servatis certis condicionibus, veritatem cognoscat. Ab esse enim ad posse valet illatio. Atqui saepe, praesertim in iudiciis immediatis, clare videmus, nos cum evidentia veritatem cognoscere i. e. ita cognoscere, ut clare videamus contrarium impossibile et errorem exclusum esse. Sic evidenter cognosco, idem non posse simul esse et non esse, tria et tria esse sex. Praesertim cum magna evidentia per conscientiam facta interna cognosco, me dubitare, cogitare, exsistere. Atque tam evidenter cognosco haec et similia esse vera, ut physica cum necessitate ad assensum cogar et constans saltem dubitatio impossibilis sit. Ergo.

15 Itaque praesertim iudicia immediata, in quibus evidentia maxima est, clare ostendunt, nos veritatis inveniendae capaces esse. Sic praebent solidum fundamentum, cui critica ulteriores inquisitiones superstruere potest. Et quia iudicia immediata *conscientiae* speciali evidentia excellunt, cui nemo resistere potest, non immerito a multis haec initium et fundamentum criticae statuuntur. Iam *Augustinus* contra scepticos coaevos imprimis ad facta interna, de quibus dubitari non possit, provocat: „Utrum aeris sit vis vivendi an ignis, dubitarunt homines. Vivere se tamen et meminisse et intellegere et velle et cogitare et iudicare quis dubitat? Quandoquidem si dubitat, vivit;

[1]) *Windelband:* „Durch diese Erschütterung des Geltenden ist jeder große Philosoph hindurchgegangen und dieselbe Erschütterung ist es auch, die jeden einzelnen zur Philosophie treibt. In jedem ernsten Leben kommt ein Moment, wo alles, was uns als gewiß gegolten hat . . vor uns zusammenstürzt." Einleitung in d. Philos.[3] (1923) 8.

si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intellegit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, iudicat non se temere consentire oportere."[1])

Th. 4. Scepticismus igitur, qui universale et serium dubium profitetur, num intellectu rem ullam certo cognoscere possimus, reiciendus est. Nam ut factum internum spectatus impossibilis est (1. p.), ut doctrina vero consideratus contradictionem involvit et absurdus est (2. p.), licet eius falsitas ipsis scepticis ostendi nequeat (3. p.).

Declar. Modo explicite demonstrandum assumimus, quod 16
ceteroquin in thesi praecedenti iam implicite continetur, immerito et absurde de facultate intellectus ad veritatem cognoscendam dubitari.

1. *Sceptici* dicuntur, qui certitudinem vel omnino non vel in paucis tantum obtineri posse dicunt. Scepticismus igitur distingui solet *universalis*, qui nullam certitudinem, et *partialis*, qui aliquam tantum in aliquo ordine concedit, velut agnosticismus, qui tantum de rebus sensibilibus sive phaenomenis certas cognitiones acquiri posse profitetur. Inter scepticos et quidem potissimum univerales recensendi hi sunt:

Ex veteribus commemorandi sunt *Sophistae* saec. 5 a. Ch., inter quos eminet Protagoras, cui istud subiectivismi adagium tribuitur: „πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος". Praeterea nominandi sunt *Pyrrhonici* (Pyrrhon saec. 4 a. Ch. eiusque discipulus Timon † 230) e schola aristotelica et epicurea, qui dixerunt, sapientis esse rerum apparentias nec negare neque etiam affirmare, sed potius assensum retinendo (ἐποχή) animi quietem servare. His similia statuerunt Academici (Arcesilaus saec. 4 a. Chr.) e schola Platonis egressi, qui omnia incerta soloque assensu probabili tenenda esse professi sunt. Utriusque sectae dog-

[1]) De Trinitate X 10 n. 14. Cf. ib. XV 12; De civ. Dei XI 26; De vera religione c. 39 n. 73.

mata postmodum *Sextus Empiricus* (c. a. 150 p. Chr.) aliique in imperio Romano renovarunt.

Saec. 16 et 17, philosophia scholastica relicta, non pauci ad scepticismum veterum redierunt. Inter quos praecipui sunt *Montaigne* († 1592) eiusque amicus *Charron* († 1603) sacerdos, uterque Gallus, et eorum discipulus *Sanchez* († 1632) Lusitanus, qui omnes solam fidem praebere certitudinem docuerunt. His malitiosior exstitit *Pet. Bayle* († 1706), qui philosophiam encyclopaedicam in Gallia praeparavit. Multo maiorem autem his omnibus influxum exercuit *Hume* († 1776) Anglus, qui ex principiis empirismi consequenter ad absolutum fere scepticismum devenit.

Quae hac thesi exponuntur, etiam *nostra aetate* prae oculis habenda sunt. Multi enim idealistae sive subiectivistae et positivistae nomine quidem et specie, sed non re ipsa a scepticis differunt.

2. Nomine scepticismi duo paulum diversa significantur, quae, antequam ad eum refutandum accedimus, distinguenda sunt, nempe scepticismus practicus sive ut factum spectatus et theoreticus sive tamquam doctrina consideratus. Scepticismus universalis ut *factum* est dubitatio universalis de omnibus veritatibus eaque constans vel saltem diuturna. Hic impossibilis esse propterea dicitur, quod naturae physicae intellectus repugnat. Scepticismus ut *doctrina* spectatus est complexus assertionum in modum systematis propositus, quarum assertionum summa in eo continetur, quod intellectus veritatem certo invenire non posse dicitur. Licet proinde possibile sit tale systema proponere, illud tamen, quod sic obiective statuitur, contradictionem involvere asseritur.

17 **Demonst. 1. p.** Fieri quidem potest, ut de omnibus veritatibus singillatim acceptis iisque etiam evidentissimis aliquamdiu dubitationem in nobis excitemus, si ab evidentia mentem avocamus vel si evidentiam dubiis congestis obscuramus vel denique si quomodocumque consuetum intellectus lumen sopore quodam seu perturbatione obnubilatur

Attamen haec de omnibus dubitandi facultas non est, sicut interdum falso putatur, perfectio ac robur mentis, sed potius infirmitas in eo sita, quod nativa vis ac perspicientia intellectus ad tempus enervari et impediri potest.

Sed *fieri non potest*, quin saepe saltem multarum veritatum evidentia menti ita manifesta fiat, ut inclinatione invincibili ad iis assentiendum pertrahatur. *Ergo* impossibile est de omnibus veritatibus constanter vel diu dubitare ideoque scepticismus ut factum spectatus impossibilis est.

Antecedens a) *experientia nostra* contestatur, v. g. si quaerimus, utrum nos ipsi exsistamus, utrum principium contradictionis verum sit necne. Neque ulli umquam, qui eandem nobiscum naturam habet, hoc idem non contingere potest, dummodo usu rationis fruatur. Proinde si nonnulli oretenus quidem proferunt, se scepticos esse, interna tamen mentis dispositione veri sceptici non sunt neque umquam tales exstiterunt.

b) *Sceptici* ipsi modo agendi manifestant, se evidentia victos multa tamquam certa tenere; itaque confiteri coguntur, se scepticos non esse, et perpetuo sibi contradicunt. Actiones enim ita disponunt, ut quibus firmissime de sua aliorumque hominum exsistentia persuasum est; laborant enim pro victu, alios alloquuntur, libros conscribunt. Etiam principales scepticismi defensores id profitentur. „Quando ludo", inquit *Hume*, „cum amicis meis loquor et delector in societate, et si deinde post duas vel tres horas ad speculationes meas redeo, tam frigidae mihi videntur, ut eas continuare impotens sim. In solitis vitae negotiis absolute et cum necessitate cogor, ut sic vivam, loquar, agam sicut ceteri homines."[1]) *E. Mach*, paritèr egregius scepticus, dicit: „Revera videmus, omnem philosophum, ut primum necessitate practica ex coarctata sua occupatione intellectuali expellitur, communem agendi modum assu-

[1]) Cf. Zeitschrift f. Philosophie u. phil. K. 112 (1898) 165.

mere."[1]) Et testatur, se ipsum tantum diuturna violentia adhibita aliquo modo evidentiae naturali se subtrahere potuisse.[2])

18 **Demonst. 2. p.** a) Doctrina contradictionem involvit, si, quod explicite negat, implicite affirmat, vel e contrario. Atqui scepticismus ut doctrina propositus *implicite affirmat, quae explicite negat.* Etenim explicite principium supremum statuit, de omnibus esse dubitandum, et variis argumentis id demonstrat. Eo ipso vero implicite affirmat, varia certo cognosci posse, scilicet illud ipsum supremum principium, praeterea principia alia, ex quibus thesim suam demonstrare conatur, porro discrimen inter verum et falsum, certum et dubium, inter scire et nescire, inter varia vocabula. Ergo scepticismus ut doctrina spectatus contradictionem involvit.

Eodem modo *S. Augustinus* contra Academicos argumentatur.

b) *Absurdum* est, ea, quae intellectus tamquam plane evidentia exhibet, pro talibus habere, de quorum veritate menti constare non possit. Absurdum enim est plus quaerere quam rei evidentem cognitionem et intellectus testimonium eiusdem intellectus testimonio reicere. — Absurdum pariter est id in dubium vocare vel negare, quod omnibus hominibus maxima firmitate persuasum est. Iam vero maxima et invincibili firmitate omnibus persuasum est, se veritatem certo cognoscere posse; omnes enim multa vera et certa habent. Ergo scepticismus ut doctrina spectatus absurdus est.

19 **Demonst. 3. p.** Ut scepticis demonstrari posset, quaedam posse certo cognosci, opus esset aliqua principia tamquam

[1]) „Wir sehen jeden Denker, auch jeden Philosophen, sobald er durch praktische Bedrängnis aus seiner einseitigen Beschäftigung vertrieben wird, sofort den allgemeinen Standpunkt einnehmen. Professor X., welcher Solipsist zu sein glaubt, ist es praktisch gewiß nicht, sobald er dem Minister für einen erhaltenen Orden dankt oder seinem Auditorium eine Vorlesung hält." Archiv f. system. Philosophie (1903) 329. — [2]) Die Analyse d. Empfindungen[9] (1922) 24.

certa assumere, e quibus haec conclusio deduceretur. Id autem, si contra scepticos agitur, petitio principii esset; sceptici enim nihil ab initio ut certum admittunt.

Indirecte igitur tantum dedoceri possunt, quatenus conamen adhibetur, ut sentiant, se in agendo, colloquendo, argumentando sibi contradicere ideoque se ipsos scepticismum denegare et systema absurdum propugnare.

Obiectiones. 1. Tenenda est illa ratio cogitandi, quae ab errore 20
mmunis est. Atqui talis est scepticismus. — *Resp.* D. mai. et quae simul veritatem praebet C. aliter N. Cd. min. et simul veritatem praebet N. aliter Tr. (scepticismus ut doctrina spectatus etiam errat).

2. Scepticismus refutari nequit, ergo verum dicit. — *Resp.* D. ant. non in se et obiective N. non ipsis scepticis C. Sed propterea gloriari nequeunt; etiam amentibus amentia demonstrari nequit.

3. Aut scimus nos errare aut nescimus. Si scimus, error impossibilis est; quod dici nequit. Si nescimus, semper formido errandi adesse debet, proinde nulla exsistit certitudo (Montaigne). — *Resp.* N. mai. et addo tertium membrum: aut scimus, nos non errare, id quod in omni certitudine locum habet.

4. Certitudo acquiri nequit, si de aptitudine mentis ad veritatem assequendam constare non potest. Atqui non potest constare. Constaret enim per eundem intellectum, de cuius aptitudine demum inquiritur. — *Resp.* Tr. mai. (obiective quidem mentis aptitudo certa sit oportet, sed homo ipse de ea prius cogitare non debet, ut certitudinem habeat. Neque de sanitate oculi antea cogitare oportet, ut oculus recte videat.) N. min. Ad rat. D. talis circulus committeretur, si inquirens de aptitudine serio dubitaret C. si tantum methodice N.

Th. 5. Itaque doctrina Cartesii de fundamento certitudinis et initio philosophandi approbari nequit.

Declaratio doctrinae. Cum de initio philosophandi aga- 21
mus, quomodo nempe philosophia ab ipsa inquisitione in facultatem cognoscendi incipere debeat, silentio praeterire non licet doctrinam hac in re celebrem, quam Cartesius de certitudinis fundamento protulit.

Cartesius (René Descartes † 1650) eodem fere tempore, quo in Anglia Baco Verul. († 1626) empirismi semina sparsit, in Gallia alter recentis philosophiae auctor exstitit. Permotus

statu philosophiae non laeto sui temporis, quo philosophia scholastica neglegebatur neque alia solida praesto erat, sibi proposuit aedificium philosophiae ex integro reconstruere et imprimis fundamentum certitudinis, a quo incipiendum sit, stabilire; hanc enim inquisitionem philosophia peripatetica data opera non instituerat. Sed in eo consilio prosequendo non quidem aliqua capita philosophiae scholasticae complere vel emendare studuit, sed totam abiecit tantumque ingenium suum secutus est.

Cartesium in philosophiam scholasticam haud magnum studium contulisse, elucet ex epistula ad Mersenne 1640 data, in qua scribit, se ex 20 annis nullum scholasticum legisse et tantummodo nomen Conimbricensium tenui memoria retinere.

1° Itaque investigationem suam incipit quaerendo, quid sit illud, de quo nullum possit esse *dubium*, quod proinde fundamentum esse debeat, cui aedificium philosophiae superstruatur. „Dubitabimus imprimis", inquit „an ullae res sensibiles aut imaginabiles exsistant: primo quia deprehendimus, interdum sensus errare . . deinde quia quotidie in somniis innumera videmur sentire aut imaginari, quae nusquam sunt." „Dubitabimus etiam de reliquis, quae antea pro maxime certis habuimus . . Ignoramus enim, an forte nos tales Deus creare voluerit, ut semper fallamur."

22 2° Invenit autem, de uno se dubitare non posse, nempe se cogitare et proinde exsistere. „Sic reicientes omnia, de quibus aliquomodo possumus dubitare . . facile supponimus, nullum esse Deum, nullum caelum, nulla corpora . . non autem nos, qui talia cogitamus, nihil esse; repugnat enim, ut putemus, id, quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non exsistere. Ac proinde haec cognitio *ego cogito, ergo sum* est omnium prima et certissima."[1])

[1]) „Principia philosophiae" I n. 4 5 7. In hoc opere praecipuo systema suum evolvit. De doctrina Cartesii inter alios cum diligentia tractat *Mercier*, Critériologie générale" (1911) 56-83 200-210.

Hanc veritatem certissimam et unam ex primis esse clarum est. Sed non est nova inventio a Cartesio facta. Iam diu ante Cartesium *Augustinus* contra Academicos et scepticos aetatis suae inculcaverat, homini quamquam de omnibus dubitanti unam veritatem dubiam esse non posse, „vivo, ergo sum"; proinde impossibile esse de omnibus dubitare.[1])

3⁰ Videns autem, hoc primum propterea indubium esse, quod distincte percipiatur, concludit, universale certitudinis criterium, quo infallibiliter veritas agnoscatur, esse *claram et distinctam perceptionem*. „In hac prima cognitione [cogito, ergo sum] nihil aliud est quam clara quaedam et distincta perceptio eius, quod affirmo: quae sane non sufficeret ad me certum reddendum, si posset umquam contingere, ut aliquid, quod ut ista clare et distincte perciperem, falsum esset, ac proinde iam videor pro regula generali posse statuere, illud omne esse verum, quod valde clare et distincte percipio."[2])

4⁰ Invento hoc criterio iam certitudinem eorum, de quibus antea dubitaverat, restituere et philosophiam tuto fundamento superstruere aggreditur. Invenit, etiam suprema principia clare et distincte percipi ideoque vera esse, ut principium contradictionis, axiomata ‚ex nihilo nihil fit' et ‚causa debet saltem tantum perfectionis continere quantum effectus'. Ex his ad *exsistentiam Dei* pervenire conatur. Nam animadvertit in se ideam Dei, entis infiniti, quae, cum ex nihilo nihil fiat, causam habere debeat; sed aliam habere non posse praeter ens pariter infinitum, cum causa non possit minoris perfectionis esse effectu. Ergo eam a Deo menti inditam esse ideoque Deum exsistere concludit.[3])

5⁰ Ex demonstrata exsistentia Dei iterum *criterium suum* 23
confirmat. „Possum enim", inquit, „mihi persuadere, me

[1]) Cf. supra n. 15. — [2]) Medit. 3. — [3]) Etiam alio argumento Dei exsistentiam ostendit, cui saepe primum locum assignat, videlicet ex idea clara Dei entis a se, in cuius comprehensione contineatur exsistentia. Hoc argumentum, quod ontologicum vocant, invalidum esse in theodicea demonstratur.

talem a natura factum esse, ut interdum in illis fallar, quae me puto quam evidentissime percipere . . Postquam vero percepi, Deum esse illumque non esse fallacem, atque inde collegi, illa omnia, quae clare et distincte percipio, necessario esse vera, nulla ratio afferri potest, quae me ad dubitandum impellat. Atque ita plane video, omnis scientiae certitudinem ab una vera Dei cognitione pendere." „Plane video, omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una vera Dei cognitione pendere, adeo ut, priusquam illum nossem, nihil de ulla scire potuerim."[1])

Porro ex Deo ulterius ad *mundum externum* pervenire conatur: cum cognitio nostra magna cum evidentia naturali mundum existentem exhibeat, Deus autem verax naturam mendacem condere non potuerit, de mundi exsistentia dubitari non posse. Quid autem ulterius de naturis rerum affirmandum sit, pariter deducendum esse ex claris et distinctis earum ideis, quas habeamus (fere secundum methodum, qua etiam multi phaenomenologistae hodierni utuntur simpliciter argumentantes ex intuitione essentiarum, quam sibi tribuunt). Ex his ideis ulterius colligit, essentiam corporum tantum in extensione consistere, cum corpus cogitari nequeat sine extensione, omnia autem alia in corpore mutabilia sint; essentiam vero animae sive spiritus consistere tantum in cogitatione (generaliter sumpta), quoniam similiter hoc unicum sit, sine quo concipi nequeat. Ex his alia doctrinae capita (pariter erronea) per similem rationalismum deducit.

Hoc loco tantum doctrinam de fundamento certitudinis examinamus praetermissis aliis, quae fundamento imponit.

24. **Demonst.** Systema Cartesii de certitudinis fundamento et initio philosophandi tum in se spectatum tum spectato modo, quo proponitur, approbari nequit. Nam

[1]) Medit. 5.

1. Proponitur cum intolerabili *contemptu philosophiae perennis* et neglecta lege continuitatis, quae tanti in scientiis momenti est. Cum mens humana in novis inveniendis erroris periculo valde obnoxia sit, ea, quae maiores unanimi consensu per saecula statuerunt, cum diffidentia proprii iudicii caute examinanda et perficienda sunt, non vero a novis semper exordiendum est.

Cartesius supponere debuit, veteres, qui solidum philosophiae aedificium construxerunt, etiam solidum fundamentum habuisse seu rectis principiis de modo philosophandi ductos esse. Haec ulterius exponere et perficere, non vero abicere novamque ab initio philosophiam construere debuit. Ipse autem asserit, neminem ante se vera philosophiae principia firmiter tenuisse. „Plerique eorum, qui posterioribus hisce saeculis philosophi esse voluerunt, Aristotelem caeco impetu secuti sunt . . Unde concludendum est, eos, qui quam minimum didicerunt illorum omnium, quae hactenus nomine philosophiae insigniri solent, ad veram percipiendam quam maxime esse idoneos." „Omnes res, de quibus dicendi occasionem habui, ita me explicasse existimo, ut, qui illum [librum meum] cum attentione legent, rationem habituri sint sibi persuadendi, non opus esse alia principia quaerere, quam ea, quae tradidi, ut ad altissimas quasque notitias, quarum mens humana est capax, perveniatur."[1])

2. Quod *dubium* attinet, Cartesius quidem ab adversariis impugnatus declaravit, de veritatibus religiosis se dubitare noluisse. Quod autem dubium de ceteris veritatibus spectat, multi quidem considerata intentione eius dubium solum methodicum adfuisse defendunt, sed alii attentis verbis et rationibus, ob quas dubitandum esse dicit, potius serium dubium intellegendum esse arbitrantur. Certe plerique philosophi moderni dubium cartesianum serium interpretantur et Cartesius saepe laudibus celebratur, quod philosophiae ius vindicaverit liberrimae inquisitionis sive ius

[1]) Princ. philos., Praefatio.

de omnibus, etiam de veritatibus fidei (serio) dubitandi, donec scientifice demonstratae sint.

25 3. Quatenus solum *principium primum* „Cogito, ergo sum" indubitatum ponit, sibi non constat. Nam dubium de mentis veracitate aeque ad hoc principium extendere debuit. Praeterea verum non est, tantum factum propriae exsistentiae immediate evidens esse: etiam alia immediate evidentia sunt, praesertim principium contradictionis.

4. Quod *criterium* ideae clarae et distinctae attinet, non liquet, utrum *ideam claram* intellegat evidentiam mere subiectivam, an vero evidentiam innixam perspectae veritati obiectivae seu, aliis verbis, utrum dicere velit, nos in aliqua re formaliter propterea esse certos, quod *cognitio* nostra clara sit, an vero propterea, quod *rem* ita se habere clare perspectum sit. Cognitio non est norma obiecti, sed obiectum est norma cognitionis, quae hunc finem habet, ut obiectum, quale est in se, manifestet. Cartesius certe auctor fuit, ut in recenti philosophia essentialis relatio cognitionis ad obiectum ab ea independens neglegeretur.

Praeterea apertum circulum committit, cum criterium omnis certitudinis dependens reddit a veracitate Dei, huius autem exsistentiam iterum in hoc criterio niti dicit.

Licet varia doctrinae capita hoc saltem modo, quo a Cartesio tradita sunt, a posteris retenta non sint, tamen „eius hostilis scholae veteris aggressio et conatus ille, quo per principium subiectivismi philosophiam in novam plane viam dirigeret, eo magis industrios imitatores nacta sunt".[1])

Art. 2. Aptitudo intellectus ad verum cognoscendum distinctius declaratur

26 Aptitudo intellectus ad verum cognoscendum, quam revera adesse demonstravimus, iam distinctius exponenda est, quid comprehendat et quales forte condiciones postulet.

[1]) *Kleutgen*, Philosophie der Vorzeit² n. 3.

Intellectus *ideis et iudiciis* veritatem assequi conatur. Ideis, quibus obiecta simpliciter apprehenduntur, veritatis cognitio inchoatur, iudiciis autem, quae affirmando vel negando aliquid de obiectis enuntiant, perficitur. In iudiciis veritas vel falsitas inest; proinde quaerendum est, num et quomodo de infallibilitate intellectus in iudicando constet. In ideis, quae nihil affirmant, de falsitate timendum non est; sed tantum de valore obiectivo quaeritur.

Itaque tum de ideis tum de iudiciis examen instituendum est, sed diverso modo.

§ 1. De valore obiectivo idearum

Th. 6 Ideas mentis valorem obiectivum habere, plane certum est (1. p.) neque sine absurda contradictione negari potest (2. p.).

Declar. 1. Ideae sunt actus intellectus, qui obiecta sim- 27
pliciter apprehendunt nihil de iis affirmando vel negando. Simpliciter proponunt „nix“, „domus“, non asserendo „nix est alba“ vel „domus alta est“. Ideo tantum valorem obiectivum, non vero sic ut iudicium veritatem sive falsitatem habere possunt.

Volor obiectivus ideae in eo consistit, quod obiectum exhibet ab ipsa independens. Itaque ideae apprehendentes ens, unum, causam, tristitiam, rotundum valorem obiectivum habent, si ens, unum, causa, tristitia, rotundum id, quod sunt, non tantum ex repraesentatione habent neque totum eorum esse in eo consistit, quod cogitantur, sed si in se ipsis independenter ab ideis, ante et extra eas id sunt, quod sunt; uno verbo si ideis repraesentantur, non producuntur sive ponuntur.

Sed ad valorem obiectivum per se non requiritur, ut obiectum repraesentatum exsistat. Tantum si idea intuitiva est rem ut exsistentem exhibens, velut perceptio desiderii interni, exsistentia obiecti postulatur. Plerumque autem idea obiectum solum secundum id, quod est, sive secundum essentiam repraesentat, ut ideae „ens, possibile, substantia, causa, homo, tristitia“. In his sufficit, ut obiectum suum

esse essentiae sive possibilitatis habeat: nam etiam possibile et essentia independenter a mente aliquid sunt. Quod contra philosophos modernos inculcandum est, qui saepe ad mentem Kant opinantur, entia possibilia seu ordinem metaphysicum plane nihil esse in se ipso, sed consistere tantum in „cogitari", ideoque valorem obiectivum ibi solummodo invenire solent, ubi obiectum apprehensum realiter exsistit, non vero in aliis, v. g. in ideis abstractis, quibus tamen totus fere cogitationis humanae ambitus constituitur. — Immo neque requiritur, ut obiectum semper sit aliquid reale. Etiam negationes independenter a cognitione habentur. Non enim sola apprehensione efficitur, ut in crumena pecunia desit.

Loquimur autem tantum de ideis intellectus, non de sensationibus, de quarum natura non idem dicendum erit.

28 2. Veritati in thesi assertae *idealismus* opponitur. Qui affirmat, ideas et omnes cognitiones, quoniam actus interni sint neque extra se egredi valeant, obiecta distincta sive „transcendentia" apprehendere non posse: obiecta repraesentata non esse quidquam a repraesentatione independens, sed ipsa repraesentatione produci et formari. Patet, hac ratione naturam cognitionis penitus inverti, cum ex genuina cognitione obiecti in productionem obiecti mutetur, de cuius realitate non iam constare potest.

29 **Demonst. 1. p.** Si ideas intellectus, quaecumque nobis se offerunt, consideramus, evidenter perspicimus, id quod repraesentando nobis sistunt, manifesto ab iis *independens* esse. Nam ens, unum, relatio, rotundum, quae repraesentantur, certe in se ipsis sunt aliquid ante repraesentationem et independenter ab ea, non vero per hoc tantum, quod cogitantur; neque paupertas, ignorantia, quae cogitantur, id, quod sunt, nempe negatio realitatis, solum per cogitationem sunt. Etiam quando iudicamus, ens non esse non-ens, effectum habere causam, totum minus esse parte, evidens nobis est, quidquid de veritate dicendum est, aliquid affir-

mari de ordine obiectivo a iudicante independenti seu ideis subiecti et praedicati exhiberi aliquid independens. In hoc autem valor obiectivus consistit. Pariter si quando idea intuitiva actum internum tamquam praesentem percipit, evidens est, rem exhibitam non effictam, sed realem esse. *Atqui* quod in ideis quibuslibet, quas consideramus, evidenter experimur, in omnibus ideis locum habet. Quod enim intellectus in quibuslibet adiunctis habet, ex natura sua habet. Proinde haec est natura intellectus, ut ideae, quas gignit, valore obiectivo praeditae sint. Ergo certum est, ideas intellectus valorem obiectivum habere.

Quamquam hoc in se plane certum est, tamen serio dubitanti demonstrari non potest. Nam qui serio de valore obiectivo idearum dubitat, eo ipso etiam de valore illorum actuum dubitat, quibus demonstrandum est ideas valorem obiectivum habere.

Ex quibus perspicitur, quomodo haec intellectus proprietas, 30
quod ideae valorem obiectivum habent, ei, qui de ea non serio dubitat, *demonstrari* possit. Tria nimirum distinguenda sunt: 1) *idea*, cuius valor inquiritur, 2) *intellectus*, cuius habitualis proprietas, ut ideas cum valore obiectivo eliciat, inquiritur, 3) *actus reflectens*, quo inquiritur.

Actus reflectentis valor obiectivus utique, quando inquisitio instituitur, supponi debet, non quidem logice, sed ontologice: i. e. valor hic *adsit* oportet et revera adest, sed non prius *cognosci* debet.

Proprietas vero intellectus eo ostenditur, quod inductione ex actibus ad eius naturam concluditur, ut supra factum est. Attamen haec demonstratio ab aliis demonstrationibus eo differt, quod consequens („intellectus cum valore obiectivo cognoscit") non quidem stricte logice supponi i. e. prius cognosci debet (sufficit, ut adsit), attamen quod de eo serio dubitare non licet, quin praemissae eo ipso dubiae evadant. Cum quis demonstrare vult animam immortalem esse, demonstratio recte perfici potest, etsi antea de immortalitate serio dubitet: sed aptitudo mentis ad verum cognoscendum demonstrari iam nequit, ut primum sero in dubium vocatur.

Demonst. 2. p. Valorem obiectivum sine contradictione 31
negari non posse, ita elucet.

a) Qui asserit, valorem obiectivum idearum vel omnino non vel non certo exsistere, implicite iam asserit, mentem

actibus suis aliquid, ut in se est, cognoscere posse, scilicet hoc ipsum, valorem obiectivum idearum dubium esse.

b) Idealistae, qui dubitant, utrum apprehensionibus suis aliquid extra eas respondeat, tamen constanter ita se gerere coguntur, sicut qui firmam persuasionem habent, se ipsos et multa alia independenter a mente exsistere et plurima in ordine metaphysico vera esse itaque ideas haec repraesentantes valorem obiectivum habere. Alloquuntur enim alios, libros edunt, systemata proponunt.

32 **Obiectiones.** 1. Si idea apprehenderet obiectum distinctum, oporteret ex se egredi; atqui non potest egredi. — *Resp.* D. mai. oporteret egredi physice N. intentionaliter C. Cd. min.

2. Obiectum cognitum in mente est; atqui quod in mente est, non iam extra mentem est; ergo nullum obiectum extra mentem cognosci potest. — *Resp.* D. mai. in mente est realiter N. intentionaliter C. Cd. min. quod intentionaliter tantum in mente est N. quod realiter est C.

3. Non possum cognoscere, ideas apprehendere res, quales in se sunt. „Cum obiectum sit extra me et cognitio in me, semper tantum diiudicare possum, num mea cognitio obiecti cum mea cognitione obiecti concordet" (Kant), non autem conformitatem cognitionis cum re ipsa apprehendere possum. — *Resp.* D. si cognitio intellectualis esset signum seu medium quod, ut ipsa tantum apprehenderetur, non autem per eam ipsum obiectum extra nos i. e. independens a mente C. si est signum quo, attingens, ipsum obiectum a cognitione independens e. g. ens, rotundum, corpus huius figurae, qualis in sensatione exprimitur N.

4. Valor obiectivus ostendi nequit, quia in probatione iam supponitur. — *Resp.* D. nequit ostendi serio dubitanti C. nequit ostendi aliis vel in se N. Ad rat. add. D. ontologice supponitur valor obiectivus (actus inquirentis et sic implicite etiam ipsius intellectus) C. logice Sd. positive, i. e. prius cognoscendus est N. negative, i. e. non est serio dubitandum C.

***Th. 7. Itaque idea intellectualis recte similitudo et imago intentionalis obiecti dicitur (1. p.); atque merito vocatur medium, quo obiectum repraesentatur (2. p.).**

*33 **Declar.** Thesis intendit ex iis, quae modo de idea exposita sunt, eius atque generatim cognitionis naturam paulo uberius declarare. Quid sit apprehensio et cognitio, con-

scientia interna eaque sola percipimus. Conscientia autem ostendit, eam aliquid omnino sui generis esse diversum ab omni alia re. Si igitur eam nihilominus rebus sensibilibus declarare tentamus, rei sensibili tantum analogia aliqua, non vero aequalitas cum idea asseri potest. Nihilominus conferre potest, ut, quod conscientia obscure apprehendit, clarius illustretur. Vix autem melior analogia invenitur quam imago. Eadem etiam semper adhibita est, quod ostendunt termini εἶδος (ἰδέα) apud Platonem et Aristotelem, „imago, species, similitudo" apud scholasticos; et commune est scholasticorum principium: „omnis cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente."[1])

Demonst. 1. p. Idea sive generatim cognitio teste con- 34*
scientia in eo consistit, quod obiectum spirituali modo nobis praesentatur, praesens redditur, apprehenditur, itaque quod aliquo modo *in nobis* habetur ac tenetur. Talibus enim verbis conscientia edocti cognitionem describimus. „Omne intellectum, inquantum intellectum", inquit similiter Angelicus, „oportet esse in intellegente; significat enim ipsum intellegere apprehensionem eius, quod intellegitur per intellectum."[2]) „Cognitio fit per hoc, quod cognitum est in cognoscente."[3]) Iam vero obiectum *non secundum esse physicum* suum in mente est; domus, montes, stellae non ipsae in capite sunt. Proinde non aliter in mente esse possunt, nisi quatenus quoddam esse spirituale ibi habent simile esse physico proprio, quod igitur intellectus cognoscendo *similitudinem* obiecti producit obiectum spirituali modo imitando et quasi reproducendo.[4]) Haec similitudo autem recte *imago* vocatur. Imago enim est similitudo ex intentione imitandi

---

[1]) C. gent. II 77. — [2]) C. gent. IV 11. — [3]) 1 q. 59 a. 2. — [4]) „Imprimis supponimus", inquit *Suarez*, „de ratione intellectionis, immo et cognitionis esse, ut per quandam assimilationem intra mentem intellegentis fiat. Hoc fundamentum videtur esse veluti dogma et principium in philosophia et theologia communi sensu receptum et ab experientia acceptum." De angelis II 3 n. 7.

facta.[1]) Similitudo autem obiecti revera ex intentione naturali intellectus obiecta repraesentandi oritur.

Sed haec similitudo et imago differt ab aliis imaginibus. Aliae cum obiecto, quod repraesentant, secundum esse specificum suum congruunt. Ita imago palatii ex gypso factum cum palatio ipso (secundum formam), flores picti cum floribus vivis (secundum formam et colores) conveniunt. Cognitio autem palatii et florum non secundum esse specificum (spirituale) cum obiectis congruit, sed solum tamquam repraesentatio cognoscitiva cum repraesentato. Ideo non dicitur imago realis, sed *„intentionalis"*; cognitio enim a scholasticis intentio dici solet.

Ergo idea recte dicitur similitudo sive imago intentionalis obiecti.

*35 Imago intentionalis ab aliis imaginibus etiam eo differt, quod aliae prius aspiciuntur et sic in cognitionem repraesentati ducunt, imago intentionalis autem non prius aspicitur, sed est ipsa aspectio obiecti. Eadem imago *species expressa* vocatur; species, quia imago est, expressa, ut distinguatur ab impressa, quo nomine a scholasticis designatur similitudo obiecti dispositiva ante cognitionem intellectui impressa, qua ad obiectum repraesentandum disponitur. *Conceptus* quoque sive conceptio appellatur. Species expressa communi scholasticorum usu etiam *verbum* dicitur, quia, sicut loquens verbo ore prolato aliquid audienti manifestat, ita mens cognoscendo obiectum cognoscenti manifestat. Elucet autem, etiam hoc tantum esse analogiam.

Cum igitur nomine imaginis intentionalis sive speciei expressae sive verbi nihil aliud significemus quam cognitionem intellectualem, quatenus est similitudo, expressio, manifestatio obiecti, in omni cognitione non excepta visione beatifica Dei speciem expressam et verbum adesse asserimus.

Cognitio intellectu producitur. Quare distingui potest productio cognitionis sive actio, qua cognitio ab intellectu pendet, et ipsa

[1]) „Imago ab imitando dicitur." 1 q. 35 a. 1 ad 3.

cognitio, terminus huius actionis. Non tamen ratio sufficiens adesse videtur, ut actio, qua cognitio in fieri ab intellectu pendet, a suo termino immanenti, cognitione ipsa, realiter distincta dicatur. Sed una realitas adesse videtur, operatio immanens cognoscendi, quae per se ipsam ab intellectu pendet (est enim actio vitalis) et secundum diversam considerationem tamquam actio, actus, operatio et tamquam terminus actionis, cognitio, species, verbum spectari potest.

Demonst. 2. p. Idea est medium, quo obiectum exhibetur, 36*
si in notitiam obiecti ducit non tamquam imago cognita, in qua vel ex qua obiectum apprehenditur et cognoscitur, sed immediate sine tali cognitione. Atqui talis est idea. Imago picta urbis ita tantum in notitiam urbis ducit, ut ipsa aspiciatur, idea autem entis, actionis, durationis, motus teste interna reflexione ita per se ipsam immediate haec obiecta exhibet, ut ad hoc non sit opus ipsam aspicere. Ergo idea est medium, quo obiectum repraesentatur seu, ut etiam dicunt, signum quo.

Medium quo potissimum opponimus „medio quod". Medium seu signum quod illud est, quod prius cognoscendum est, ut ex eo per novum actum obiectum cognoscatur.[1]) Ita ex verbo audito res significata, ex vultu tristitia, ex beneficio amor cognoscitur. Si cognitio tantum medium quod esset, numquam ex ordine subiectivo ad obiectivum a cognitione distinctum pervenire possemus. Semper enim, quod cognosceremus, nostra cognitio esset, ex qua frustra pontem ad obiecta a cognitione distincta quaereremus. Perpetuo tantum cognitiones aspiceremus.

Itaque haec est generalis natura apprehensionis sive cognitionis, ut tamquam medium quo obiectum suum exhibeat. Diversa igitur cognitio est diversum medium quo: in cognitione immediata medium quo immediate obiectum exhibet, in mediata mediate (per alia obiecta cognita), in intuitiva modo intuitivo, in non-intuitiva sive abstractiva modo abstractivo. Proinde si cognitio medium quo dicitur, non eo ipso affirmatur, obiectum immediate vel immo intuitive apprehendi. Medium quo intellectuale facta psychica interna (actus et subiectum) modo intuitivo exhibet, naturas rerum universales modo abstractivo, exsistentiam Dei pariter non intuitive et tantum mediate. Res externas sensibiles intellectus per sensus

[1]) Propterea etiam medium *ex quo* appellatur.

apprehendit. Cum igitur sensus non rem externam immediate in se percipiat, sed tantum reactionem psychicam sive imaginem a re in sensu excitatam, rei utique generatim conformis neque intellectuale medium quo rem externam intuitive in se exhibet, sed eam tantum sistit prout relucet in repraesentatione, quae rei conformis est. Quod infra uberius exponetur.

*37 **Obiectiones.** 1. In sensationibus saepe obiectum repraesentatum difforme est a re externa, e. g. si luna ut parva, baculus aquae immersus ut fractus repraesentatur. Atqui talis cognitio non est imago rei vel immo medium, quo res in se ipsa attingitur — *Resp.* Tr. arg. Thesis agit tantum de cognitione intellectuali. Ceterum adnotare sufficiat, sensationes repraesentare res secundum modum, quo organum afficiunt, e. g. lunam et baculum secundum imaginem, quam in retina producunt, quae in exemplo revera imago rei parvae et baculi fracti est.

2. In cognitionibus intellectualibus, nempe in iudiciis falsis, invenitur difformitas a re ipsa. Ergo neque talis cognitio est imago et signum, quo immediate res in se attingitur. — *Resp.* D. ant. in iudiciis falsis est difformitas, in quantum spectantur apprehensiones subiecti et praedicati atque ipsius nexus in iudicio contentae sive cum eo coniunctae (in his non est difformitas) N. in quantum spectatur ipsa assertio difformis C. D. cons. non est imago et signum quo spectatis apprehensionibus N. non spectata ipsa assertione difformi C. Thesis cum communi sententia aristotelico-scholastica affirmans cognitionem esse similitudinem rei, respicit tantum cognitionem proprie dictam. Iudicium autem falsum, in quantum difforme est, sane non est similitudo obiecti. Sed neque cognitio est nec dicitur nisi sensu analogico et improprio. Nemo enim dicitur cognoscere Augustinum, in quantum iudicat eum fuisse Iudaeum. Cognitio proprie dicta est apprehensio, quae primo et propriissime dicitur cognitio et a qua generales descriptiones cognitionis sumi solent, secundo iudicium verum.

*38 **Nota.** De cognitione praeterea duo axiomata commemoranda sunt, quae eius naturam amplius illustrant.

1. *„Cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis."* Ex supra dictis colligitur actum cognitionis dupliciter considerari posse, *entitative*, secundum esse specificum, quatenus e. g. accidens spirituale est, et *repraesentative*, quatenus similitudo intentionalis obiecti est.

Sed quia haec similitudo obiecti per ipsam entitatem actus fit, facile intellegitur, modum ac perfectionem huius

assimilationis pendere a perfectione entitativa actus et, quia entitas actus subiecto respondet, ulterius a perfectione entitativa subiecti cognoscentis eique correspondere. Etiam in scaena homo tantum illius personam agere poterit, quae entitati eius aliquo modo respondet; puer non potest gigantis personam agere. Similiter subiectum cognoscens eo nobilius obiectum exprimere potest, quo nobilius est eius proprium esse, quo autem ignobilius est esse, eo ignobilius etiam obiectum est, quod exprimere valet, vel saltem eo ignobilior modus exprimendi. Ita fit, ut intellectus humanus omnia quidem aliquo modo attingere sive repraesentare possit, sed obiecta spiritualia obscure tantum, perfectius autem essentias rerum corporalium, quia eius statui praesenti in corpore magis proportionatae sunt. „Cognitio non fit nisi secundum quod cognitum est in cognoscente; unumquodque autem est in aliquo per modum ipsius et non per modum sui . . et ideo oportet, quod cognitio fiat secundum modum cognoscentis."[1])

Ex hac re discrimen inter conceptum *proprium et ana-* 39*
logum oritur, quorum prior rem, ut in se est, exprimit, posterior vero tantum per respectum ad aliam rem, quae illius perfectionem non adaequat, e. g. exhibendo Deum ut ‚causam mundi'. Quo magis obiectum cognoscendum subiectum cognoscens perfectione superat, eo difficilius conceptu proprio cognosci poterit. Haec necessaria proportio inter entitatem subiecti cognoscentis et obiecti efficere videtur, ut obiecta, quae entitatem sive statum subiecti cognoscentis perfectione multum excedunt, viribus naturalibus conceptu proprio attingi non possint atque eo imperfectiore conceptu analogo exhibeantur, quo magis subiecti perfectionem excedunt. Ideo videmus, nos in hoc statu unionis cum corpore obiecta spiritualia tantum conceptu analogo et Deum conceptibus analogis admodum imperfectis apprehendere. Unde oritur magna illa humani intellectus in rebus

[1]) 1 sent. d. 38 q. 1 a. 2.

sublimioribus clare cognoscendis imperfectio et exigua vis, qua illae hominem movent.

*40 2. *Cognitio fit a cognoscente et cognito.* Hoc principium in philosophia scholastica receptum originem cognitionis spectat. Dicitur fieri a cognoscente; quod patet. Sed etiam ab obiecto cognito, quia obiectum ad producendam cognitionem concurrit. Ita ideae externarum rerum corporalium in mente oriuntur, quatenus obiecta in sensus agunt et per sensus intellectum determinant.

Attamen ad hoc, ut cognitio valorem obiectivum habeat, ille influxus obiecti non requiritur; valor per hoc solum adest, quod cognitio signum quo obiecti est. Nihil igitur ex hac parte obstat, quominus ideae non ab obiectis determinatae, sed a Deo immediate infusae esse possint; nihilominus valorem obiectivum habent. Valor enim obiectivus formaliter in eo consistit, quod idea *imago* rei est, quaecumque est eius *origo;* etiam imago photographica non ideo vera est, quia per radios obiecti effecta est, sed quia obiecto similis est.

*41 **De medio in quo.** Doctrina supra proposita, quae ideam medium quo dicit, defenditur a Scotistis, Suarez et plurimis aliis. Paulum differt sententia scholae *thomisticae*. Qui dicunt, imaginem obiecti, quae in cognitione producatur, non esse medium quo, sed in quo. Medium in quo autem illud dicunt, quod tamquam cognitum ducat in notitiam obiecti, sed ita ut eodem actu obiectum in illo medio cognoscatur. Sententiam suam derivant ex imaginatione, cui cognitionem intellectualem similem esse dicunt. In imaginatione enim, aiunt, obiectum non est praesens nec nos determinat; quare ipsi nobis imaginem obiecti facimus, quae quasi vicem eius gerit; hanc imaginem apprehendimus et in imagine simul obiectum. Similiter in cognitione intellectus imaginem intentionalem formamus („speciem expressam, verbum, conceptionem"), quae est medium in quo obiecti; haec imago seu verbum cognoscitur, sed in eo simul obiectum, sicut fere, aiunt, in imagine picta vel in speculo obiectum repraesentatum cognoscitur. Itaque verbum et obiectum simul cognoscuntur, sed cognitio verbi est ratio cognitionis obiecti in verbo relucentis.

Schola thomistica etiam *S. Thomam* ita interpretatur, qui revera plerumque cognitionem in hunc modum describit. Cf. In Jo. c. 1 l. 1; De pot. q. 9 a. 5; De natura verbi intellectus.

Attamen thomistae non in omni cognitione tale verbum sive speciem expressam ponunt, sed solum in illa, quae non per obiectum praesens determinatur. In tali enim cognitione opus esse dicunt, ut intellectus sibi conceptionem sive speciem vicariam obiecti absentis efformet. Sin autem cognitio ut repraesentatio spectata totaliter ab obiecto praesenti determinetur, intellectum sub hoc respectu tantum passive se habere et proinde propriae conceptioni sive speciei exprimendae locum non esse. Idcirco in sensatione externa et pariter in visione beatifica verbum non admittunt, admittunt autem in imaginatione et in aliis cognitionibus intellectus. Etiam doctrinam Angelici in hunc modum interpretantur, qui revera in compluribus locis ita disserere videtur. Cf. Quodl. 5 a. 9 ad 2.; 8 a. 3; C. gent. I 53; 1 q. 12 a. 2; 1 q. 78 a. 4 ad 2; q. 85 a. 2 ad 3.

Praeterea schola thomistica realem distinctionem ponit inter intellectionem seu actum intellegendi et verbum sive speciem; verbum id esse dicit, quod intellectione formetur sive intellegatur.

De hac sententia haec dicenda esse videntur: 42*

1. *Non ducit ad idealismum.* Non enim asserit verbum tantum esse signum quod seu solum verbum cognosci. Sed affirmat cum verbo et in verbo ipsum obiectum, ut in se est, attingi. — (Si quis utique diceret, non simul attingi obiectum ipsum secundum se, talis explicatio medii in quo ad idealismum duceret, cum in perpetuum nos lateret medium in quo conforme esse rei.)

2. Attamen *naturam cognitionis non satis bene explicare videtur.*

a) Non declarat essentiam cognitionis generatim spectatae. Thomistae solum in quibusdam cognitionibus verbum formari dicunt, praeterea autem alias admittunt. Quid sint autem hae aliae cognitiones, non declarant. Porro etiam ibi, ubi verbum admittunt, distinctionem statuunt (realem) inter verbum, quod intellegatur idque primo loco, et intellectionem, qua intellegatur sive cognoscatur. Sic pariter quaestio redit, quid sit illud „intellegere“ sive „cognoscere“ verbi et rei in verbo relucentis. Pariter non videtur hoc aliud esse posse quam medium quo.

b) Verbum dicitur imago, in qua res, ut in se est, reluceat et in qua eodem actu apprehendatur, sed ita ut cognitio verbi sit ratio cognitionis rei. Haec imago autem esset imago rei repraesentativa sive intentionalis; appellatur enim intentio, conceptio, verbum, neque

aliter rem in se ipsa exhibere posset.[1]) Ergo esset repraesentatio cognoscitiva rei. Sic autem ad hoc, ut habeatur cognitio, non iam videtur opus esse hanc imaginem cognoscere; alioquin haberetur cognitio cognitionis. Aliter: si tale medium in quo statuitur, videtur duplicari cognitio.

Revera tantum si illa imago est repraesentatio cognoscitiva obiecti, in ea obiectum ipsum eodem actu apprehendi potest. Si enim tantum sicut imago picta vel imago in speculo rem exhiberet (eius defensores solent eam cum tali imagine comparare), minime res eodem actu apprehenderetur. Nam, quod ex Aristotele adducere solent, „idem est motus in imaginem et rem“[2]), non est stricto sensu verum. In picta imagine res depicta, in imagine speculi res, quae relucet, non eodem, sed novo actu apprehenditur; utrumque enim signum quod est. — Aliter. In medio in quo dicitur apprehendi obiectum ipsum. Iam igitur aut apprehensio tantum terminatur in medium illud, quod obiecto conforme dicitur (sicut aspectio terminatur in imaginem pictam personae conformem) aut terminatur distinctim duplici terminatione in medium et in obiectum. Si hoc alterum dicitur, non apparet, cur ad cognoscendum obiectum necessarium sit medium in quo et quid conferat. Sin autem illud alterum dicitur, non videtur vitari idealismus, quia numquam ad obiectum devenitur.[3])

3. Non videtur sententia proposita *testimonio conscientiae* comprobari. Non sumus nobis conscii, nos omnia obiecta sic apprehendere „tamquam repraesentata“ seu tamquam relucentia in propria repraesentatione, sed apprehensio immediate in obiectum ipsum ferri videtur.

---

[1]) Si actu reflexo aspicio actum directum, quo e. g. Augustinum apprehendo, talis actus reflexus revera in actu directo tamquam medio in quo Augustinum cognoscit: actus enim directus tamquam medium quo Augustinum repraesentat. Sic actus directus respectu reflectentis est medium in quo. Sed quaestio proposita ad actum directum refertur. — [2]) De mem. et reminisc. c. 2. — [3]) Etiam hoc animadverti potest. In imaginatione, cui sententia thomistica intellectionem similem esse affirmat, „imago“, quam formare dicimur, est idem obiectum ac illud, quod in perceptione externa repraesentatur, tantum minore intensitate et claritate expressum (prout merito psychologia empirica docet): quae intensitas quandoque tanta est, ut imaginatio a perceptione vix discerni possit. Ergo non videtur illud discrimen asseri posse inter imaginationem et sensationem externam, quod haec sententia affirmat. — Generatim sententia de medio in quo „imaginem“, quacum cognitionem comparare solemus, sensu nimis proprio accipere videtur.

Obiciunt. 1. Requiritur, ut obiectum cognitionis cognoscenti 43*
praesens sit. Iam vero si cognitio non est intuitiva, obiectum non aliter cognoscenti praesens esse potest quam per imaginem eius productam, in qua apprehenditur. — *Resp.* D. mai. requiritur, ut obiectum cognoscenti praesens sit ante cognitionem, quatenus eum determinat C. praesens in cognitione Sd. per ipsum intellegere tamquam medium quo C. per imaginem productam tamquam medium in quo N.

2. Nonnulli defendunt medium in quo ob hanc rationem: in cognitione saepe difformitas habetur cum re ipsa, scilicet saepe in sensatione et semper in iudiciis falsis. Talis cognitio autem nequit esse medium, quo res directe in se attingitur, sed sic res apparet in cognitione tamquam medio in quo. — *Resp.* cf. supra n. 37.

§ 2. De infallibilitate in iudicando

Th. 8. Intellectum in iudicando per se infallibilem esse pariter plane certum est nec sine contradictione negari potest (1. p.). Attamen intellectus fallibilis est per accidens (2. p.).

Declar. 1. In explicanda aptitudine intellectus ad verum 44
cognoscendum procedimus iam ad iudicium, quod perfectior mentis cognitio est. Iudicium enim non tantum sicut idea rem aliquam simpliciter exhibet, velut „ferrum“, „cera“, sed simul praedicatum de ea enuntiat iudicando: „ferrum est durum“, „cera est mollis“. In idea igitur tantum postulatur, ut id, quod repraesentat, ab actu sit independens seu ut valor obiectivus adsit; quia nihil de obiecto repraesentato iudicat, nec vera nec falsa esse potest. In iudicio autem etiam postulatur, ut verum sit i. e. ut id, quod de re asserit, cum re conforme sit. Aliis verbis: requiritur, ne intellectus fallatur. Aptitudo igitur intellectus ad verum cognoscendum etiam requirit, ut intellectus in iudicando tuto falsitatem cavere queat.

Itaque asserimus intellectum in iudicando infallibilem esse, non absolute quidem, ut numquam falli queat, sed infallibilis per se; quae infallibilitas sufficit, ut sit aptum instrumentum ad veritatem inveniendam.

2. Intellectus est *infallibilis per se,* si, quando secundum suam naturam agit, falso adhaerere nequit. Fallibilis per se esset, si secundum suam naturam agens falso adhaerere posset. Sin autem tantum errare potest, quando non secundum naturam agit, *fallibilis per accidens* dicitur. Simili ratione horologium quasi infallibile per se dici posset, si sibi relictum et extrinsecus non impeditum semper verum tempus indicaret; falleret autem per accidens, si index extrinsecus pondere gravaretur itaque acceleraretur.

Iam vero intellectus *secundum naturam suam agit*, si eius naturae rationali satisfit. Satisfit autem a) quando evidentiam de obiecto habet, i. e. si iudicat simul perspiciens, obiectum ita necessario verum esse, ut oppositum sit exclusum. Clarum est, quando obiectum ita menti manifestum est, eius naturae rationali omnino satisfactum esse. b) Sed non semper evidentiam habet. Si id accidit, ex natura sua rationali ad ulteriorem inquisitionem obiecti tendit. Sed fieri potest, ut a tali inquisitione impediatur et praematura determinatione ad iudicium ponendum impellatur, utique cum periculo erroris committendi. Quando igitur evidentiam non habet, satisfit intellectui, si ab ulteriore inquisitione obiecti, ad quam instituendam et continuandam naturaliter tendit, non impeditur per praematuram determinationem ad iudicium, sed si sibi ipsi relinquitur.

Proinde intellectus non secundum naturam suam agit, si, quando evidentiam non habet, nihilominus ad iudicandum determinatur. Talis determinatio fieri solet per voluntatem, quae sicut generatim alias potentias ad agendum ita etiam intellectum ad actum iudicii determinare potest; atque id ita quoque, ut eum praemature, nondum rem cum evidentia perspicientem, ad iudicandum impellat. Sic autem periculum erroris adest.

*45 **Demonst. 1. p.** A) *Infallibilitas per se certa* est. 1. Intellectus est infallibilis per se, si secundum naturam suam agens errare nequit, ergo si a) in illis iudiciis, in quibus cum

evidentia iudicat, errare nequit et b) si, quando evidentiam non habet, id semper per se, i. e. nisi impediatur, detegit et sic a iudicio abstinet. *Atqui* res ita se habet. Nam a) si reflectendo illa iudicia consideramus, quae intellectus cum evidentia ponit, plane manifestum est, ea a falsitate necessario immunia esse; clare enim videmus oppositum exclusum esse. b) Porro eadem reflexione constat, intellectum ex natura sua, i. e. nisi impediatur, ad claram obiecti manifestationem obtinendam tendere neque quiescere, donec eam obtinuerit. Quare, si haec manifestatio sive evidentia nondum obtenta est, hunc defectum per se semper animadvertit et a iudicio abstinet. Ergo intellectus est infallibilis per se.

2. Qui hanc infallibilitatem non concedit, sed admittit intellectum secundum naturam suam agentem falso adhaerere posse, scepticismum profiteri debet. Nam in hac suppositione numquam ab errore securi esse possemus ideoque de omnibus dubitare oporteret. Scepticismus autem absurdus est.

B) *Infallibilitas sine contradictione negari nequit.* a) Qui asserit infallibilitatem intellectus vel omnino non vel non certo exsistere, implicite profitetur intellectum hoc ipsum infallibiliter cognoscere. b) Qui infallibilitatem intellectus negant, tamen constanter ita se gerere coguntur, sicut qui firmiter persuasum habent se in multis certitudinem habere ideoque intellectum aptum veritatis inveniendae instrumentum esse seu ex natura sua pollere infallibili veri cognoscendi facultate.

Demonst. 2. p. Intellectus teste experientia non raro 46
fallitur. Atqui non fallitur per se, ut demonstratum est. Ergo fallitur et falli potest per accidens.

Fallitur autem, quatenus praepropere, re non sufficienter perspecta, ad iudicium determinatur. Haec determinatio potissimum *per voluntatem* fit, quae intellectum ad iudi-

candum impellit propter affectionem ad rem, ex impatientia vel ex aliis motivis.[1])

Plerique docent[2]) intellectum deficiente evidentia ad iudicandum determinari *tantum per voluntatem* eamque liberam. Hi defendunt idque necessarium putant, intellectum ad errorem numquam per actus cognoscitivos determinari, e. g. per apprehensiones speciosas, vividas imaginationes, perceptiones sensitivas, quae, sufficienti reflexione in obiectum impedita, intellectum (saltem ad momentum) ad iudicandum abripiant. Si hoc accideret, aiunt, falsitas ex intellectu ipso proveniret.

Attamen intellectum semper voluntate tantum, numquam actibus cognoscitivis ad falsum determinari, *non satis probari* videtur. Etenim a) tot iudicia falsa, ad quae in rebus magnam evidentiae speciem habentibus saepe inducimur, omnia a voluntate determinari vix est credibile. b) In somniis intellectus multa falsa iudicia elicit, quae certe non omnia a voluntate, sed immediate ab apprehensionibus, praesertim phantasmatibus determinata sunt; et hoc ideo, quia sufficiens reflexio deest, qua intellectus falsam apprehensionum speciem detegere possit. Idem aliquando in statu vigili accidere posse, si intellectus a sufficienti reflexione impeditur, non apparet, cur negandum sit.

Neque necessarium videtur talem exquisitam infallibilitatem defendere. Nam etsi illud accidit, non propterea intellectus desinit esse infallibilis per se. Nam sic non agit secundum suam naturam, sed ex impedimento. Praeterea in his eventibus saltem post iudicium immaturum, ut primum reflexionis facultas redit, defectum evidentiae detegere et iudicium iterum suspendere potest.

47 **Obiectiones.** 1. Solus Deus infallibilis est, ergo non intellectus humanus. — *Resp.* D. i. e. nemo alius habet infallibilitatem absolutam sine possibilitate erroris et insuper non participatam C. non talem, quam supra homini adscribimus, limitatam et insuper participatam N.

2. Omnes dicimus hominem sive intellectum humanum ex natura sua fallibilem esse. Atqui secundum thesim ex natura sua infallibilis esset. — *Resp.* D. mai. i. e. talem esse naturam eius, ut per accidens falli possit quatenus evidentia carere et in tali casu simul incaute determinari queat extrinsecus C. talem esse naturam, ut falli possit per se, nempe ut sibi relictus in errorem impingat N. Cd. min.

---

[1]) De causis errorum vide infra, ubi de statibus mentis in assequenda veritate agitur. — [2]) Cf. e. g. *Suarez*, Disp. met. d. 9 s. 2 n. 6.

*§ 3. Appendix

Conspectus doctrinarum modernarum, quae de natura 48
et veracitate cognitionis proferuntur. Mentionem fecimus idealismi, qui sine dubio error principalis modernae criticae est. De idealismo aliisque doctrinis recentibus infra fusius agemus, postquam genuinam doctrinam exposuimus. Quia tamen interim saepe harum doctrinarum mentio inicienda est, eas hoc loco concinnis formulis describimus.

1. *Idealismus* negat ideas et generatim cognitiones obiecta a cognitione distincta sive independentia apprehendere posse; obiecta repraesentatione ipsa produci asserit. Itaque opponitur conceptioni universali, quam genus humanum semper habuit, finem cognitionis esse, ut ordini obiectivo se conformet itaque veritatem assequatur. Idealismum esse errorem principalem hodiernae criticae ex eo videre licet, quod pleraeque aliae doctrinae ab idealismo initium sumunt vel ab eo parum differunt.

2. *Subiectivismus* eiusdem naturae est cum idealismo. Subiectivismus enim dicitur doctrina, quae tenet cognitiones nostras esse tantum subiectivas, i. e. eis non exhiberi res, sicut in se independenter a cognitione sunt, sed exhiberi tantum modum, quo subiectum secundum indolem suam ordinem obiectivum intentionaliter producat. Itaque secundum subiectivismum non veritas aliqua obiectiva a subiecto independens et immutabilis (quippe quae attingi non possit), sed *subiectum est norma* iudiciorum et rectitudinis cogitandi. — In subiectivismo idealistico etiam radicatur:

3. *Fideismus* ille, qui res metaphysicas ac religiosas non intellectu, sed activitate quadam affectiva et appetitiva attingi et teneri dicit, quae ex internis subiecti indigentiis proveniat iisque concordet. In eandem sententiam si non theoretice, attamen practice saepissime intuitionismus hodiernus redit.

Intuitionismus contendit hominem veritates superempiricas perceptione quadam immediata spirituali apprehendere, quam intuitionem appellat. Quae tamen apud multos defensores parum vel nihil differt ab apprehensione affectiva modo indicata.

Fideismus et intuitionismus nunc etiam communi nomine *irrationalismus* appellantur. Irrationalismus profitetur veritates superempiricas medio quodam „irrationali" i. e. a cognitione discursiva intellectus diverso apprehendi, quod ab aliis apprehensio affectiva, ab aliis perceptio intuitiva fingitur.

49 4. *Phaenomenalismus,* subiectivismo similis, docet nos non posse res cognoscere, sicut in se sunt, sed tantum earum phaenomena i. e. modum, quo nos afficiant, speciem, qua nobis appareant. Hic modus autem, quo affici dicimur, seu rerum apparentia in subiecto est: est enim ipsa repraesentatio sive perceptio, quatenus aliquo modo a re quadam externa causata apprehenditur, quae hac ratione subiecto „appareat". (Sed inconsequenter extrinsecus causata dicitur, quia, si tantum phaenomena subiectiva cognoscimus, nihil de rebus externis scire possumus.)

5. *Psychologismus* affirmat cognitiones et leges cogitandi solum facta et leges psychologicas esse, quae momentum psychologicum, individuale, relativum habeant, nullam vero veritatem absolutam, superindividualem, transcendentem exhibeant.

6. *Positivismus* (empirismus) affirmat nos tantum positiva seu ea, quae experiamur, cognoscere posse, haec autem tantum esse phaenomena i. e. modos, quibus res nos afficiant. Quatenus sic positivismus res in se et superempirica cognosci posse negat, *agnosticismus* vocatur.

7. *Kantianismus* est subiectivismi et positivismi copulatio.

8. *Pragmatismus* tenet cognitiones ex eo veritatem sive legitimum valorem accipere, quod vitae eiusque in-

digentiis utiles sint. Res enim, quales in se sunt, cognosci non posse.

9. ***Relativismus*** denique principium statuit, quod ex plerisque doctrinis enumeratis consequitur, cognitionem humanam non percipere veritatem absolutam et immutabilem, sed „veritatem", quam apprehendat, esse relativam tantum i. e. diversam et mutabilem secundum varias aetates et varia hominum genera.

Caput II

De veritate et certitudine

Cum critica inquirere debeat, num et qua ratione intellectus ad veritatem et ad certitudinem de veritate obtenta pervenire queat, prima eius quaestio videri possit haec esse, quid sit veritas et certitudo. Sed haec quaestio apte tractari nequit nec falsae adversariorum conceptiones satis intellegi et refutari possunt, nisi simul supponitur nos veritatem et certitudinem assequi posse. Idcirco prius aptitudinem mentis ad verum cognoscendum demonstravimus simulque hac ratione naturam cognitionis intellectualis exposuimus. His praemissis iam accuratius exponendum est, quid sit veritas et quid certitudo aliique status mentis in veritate assequenda.

Art. 1. De veritate

Hoc loco tantum de ea veritate agendum erit, qua 50
cognitiones verae dicuntur, sive de veritate logica.

Veritas enim triplex potissimum distinguitur. a) Veritas *logica*, quae de cognitionibus intellectus praedicatur et infra uberius exponetur, est conformitas cognitionis (sive adaequatio intellectus) cum re. b) Veritas *ontologica*, quae de rebus praedicatur, est conformitas rei cum idea sua; prop-

terea enim oratorem, amicum dicimus veros, quia ideae et definitioni oratoris vel amici, quas in mente gestamus, conformes sunt. c) Veritas *moralis* seu potius veracitas, quae de sermonibus praedicatur, est conformitas sermonis cum loquentis cognitione; propterea enim alicuius sermonem veracem dicimus, quia non mentitur seu alia profert, quam in mente gerit.

Th. 9. Veritas logica est conformitas cognitionis (seu adaequatio intellectus) cum re.

51 **Declar.** 1. Thesis proponit definitionem communem et antiquam in philosophia aristotelico-scholastica. *Aristoteles* hac ratione verum et falsum definit: „Enuntiare, id, quod est, non esse, vel id, quod non est, esse, falsum est; sed enuntiare, quod est, esse, et quod non est, non esse, verum est.“[1]) Etiam *S. Thomas* perpetuo similia dicit: „Veritas intellectus (est) adaequatio intellectus et rei, secundum quod intelfectus dicit esse, quod est, vel non esse, quod non est.“[2]) „Verum est in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectae.“[3])

Porro si veritas dicitur conformitas cognitionis cum re, non postulatur, ut cognitio rem adaequate exprimat, sed solum ne id, quod exprimit, a re difforme sit. Et res, quacum conformitas postulatur, latissime intellegitur vel exsistens vel possibilis vel negativa, nempe quodlibet obiectum, de quo fit assertio.

52 2. In genuina veritatis notione vindicanda pugna nobis est contra varias sententias modernas, imprimis vero adversus egregiam veritatis falsificationem, quam idealismus sive subiectivismus committit.

a) Idealismus negat cognitionem esse similitudinem obiecti ab ea independentis, cui conformari debeat. Sed asserit, obiecta cognitione efformari, ideoque in cognitione conformitatem quidem cum subiecto eiusque legibus sive indole, non autem cum rebus extrasubiectivis locum ha-

[1]) Met. IV 7 (1011 b 25). Cf. IX 10 (1051 b 3-9); Cat. 5 (4 b 8-10). — [2]) C. gent. I 59. — [3]) 1 q, 16 a. 1. Cf. ib. 21 a. 2.

bere. Quia nihilominus cum universali hominum consuetudine veritatem et falsitatem admittere coguntur, vitiatas definitiones effingunt. Dicunt enim vel veritatem esse cognitionum *conformitatem cum legibus mentis* sive conformitatem earum *inter se* vel illam cognitionem veram habent, quae ab omnibus *recta agnoscatur* sive quae opinionibus cuiusque aetatis congruat.[1])

b) Alii veritatem intellegunt *conformitatem symbolicam* inter cognitiones et res. Supponentes enim nos non cognoscere res (saltem metaphysicas et religiosas), quales in se sunt, affirmant, ea, quae de rebus apprehendamus, esse tantum earum symbola a cognoscente efformata, i. e. obiecta rebus ipsis quidem dissimilia, attamen in repraesentando earum vices gerentia. E. g. modernistae multique alii asserunt Deum resque religiosas „incognoscibiles" esse, varias autem de his opiniones atque etiam dogmata catholica symbola esse, quibus diversi homines sive aetates haec incognoscibilia subiective apprehendant sibique repraesentent.

c) Interdum etiam error *relativismi* in ipsam veritatis definitionem influit. Relativistae, cum affirmant veritatem tantum relativam, non vero absolutam et immutabilem esse, eam non reponunt in conformitate cum ordine essendi constanti atque immutabili, quem ignorant, sed in conformitate cum proprietatibus, indigentiis et opinionibus diversorum hominum sive aetatum.

d) Sunt denique, qui ex mente *pragmatismi* veritatem in utilitate consistere doceant.

Confer e. g. haec: Veritas, inquit *Kant*, consistit „in con- 53
formitate cum legibus intellectus", „in consonantia omnium cogitationum inter se"; „falsum est, quod communibus et necessariis

[1]) Allgemeingültigkeit. Terminus germanicus „Gelten" in recentissima philosophia saepe adhibitus parum claram et constantem significationem habet. Generatim fere significat aliquam assertionem obiective spectatam habere veritatem; quae veritas deinde varie a variis explicatur.

regulis intellectus contradicit."[1]) *Alii* sic: „Quando de veritatibus mathematicis, realibus, moralibus loquimur, communis proprietas eius, quod verum dicimus, in eo consistit, quod necessario cogitatur et ab omnibus agnoscitur."[2]) „Verum est, quod cum legibus cogitandi consentit"[3]), „quod cum regulis concordat, quae ad omnes pertinent"[4]). „Vera dicimus, quae inter se et cum experientia concordant."[5]) „Veritas est species boni, non autem, sicut communiter admittitur, categoria a bono diversa eique coordinata."[6]) „Conformitas cum realitate tandem relinquenda est . . Error et veritas in eo generice conveniunt, quod sunt medium ad dimetiendas rationes practicas externas; medium ineptum est error, aptum vocatur veritas."[7])

54 **Demonst.** 1. Definitio veritatis illa est admittenda, quae cum universali concipiendi et loquendi usu congruit. Atqui haec est definitio dicens veritatem esse conformitaten cognitionis cum re. Omnes enim ideo assertionem sive iudicium verum vocant, quia de re id iudicat, quod cum ea congruit, et ideo negant id verum esse, quia enuntiat, quod

---

[1]) Die Wahrheit besteht „in der Übereinstimmung mit den Gesetzen des Verstandes", „in der Übereinstimmung aller Gedanken mit den Gesetzen des Denkens und also untereinander", „in der Zusammenstimmung der Erkenntnis mit sich selbst"; was „den allgemeinen und notwendigen Regeln des Verstandes widerspricht, ist falsch". Variis in locis. — [2]) *Sigwart*: „Wenn wir von mathematischen, tatsächlichen, sittlichen Wahrheiten sprechen, so ist der gemeinsame Charakter dessen, was wir wahr nennen, daß es ein notwendig und allgemeingültig Gedachtes ist." Logik[4] (1911) I 8. — [3]) *Wundt:* „Wahr ist, was mit den Gesetzen des Denkens übereinstimmt." Sinnliche und übersinnliche Welt (1914) 269. — [4]) *Windelband:* „Der Unterschied der Wahrheit und Falschheit beruht darauf, daß nur die als wahr anzuerkennende Vorstellungsverbindungen nach einer Regel geschehen, die für alle gelten soll." Praeludien[9] I (1924) 136. — [5]) *W. Ostwald*. „Unter Wahrheit verstehen wir, was miteinander und mit der Erfahrung stimmt." Moderne Naturphilosophie (1914) 16. — [6]) *W. James*. praecipuus auctor pragmatismi. Pragmatismus (germ. 1908) 48. — [7]) *Vaihinger:* „Die sogenannte Übereinstimmung mit der Wirklichkeit ist doch endlich als Kriterium aufzugeben . . Irrtum und Wahrheit fallen unter den gemeinsamen Oberbegriff des Mittels zur Berechnung der Aussenwelt; das unzweckmäßige Mittel ist der Irrtum, das zweckmäßige heißt man Wahrheit." Philosophie des Alsob[10] (1927) 193.

cum re non convenit. Iudicium asserens Hierosolyma eversa esse a Tito verum appellant, quia cum facto historico congruit, iudicium autem affirmans ea a Traiano esse eversa falsum dicunt, quia enuntiat, quod cum facto non convenit. Ergo veritas definienda est conformitas cognitionis sive adaequatio intellectus cum re.

Similiter liquet *falsitatem logicam* esse difformitatem cognitionis cum re.

2. Definitio statuta amplius confirmatur et illustratur 55
falsitate oppositarum definitionum, quae supra commemoratae sunt.

a) Definitiones, quas *subiectivismus idealisticus* profert,

(1) generatim propterea falsae sunt, quia supponunt cognitiones non imitationes obiectorum, sed potius productiones esse; propterea veritatem non in conformitate cum obiectis, sed potius in congruentia cum cognoscentium indole, legibus, indigentiis reponunt.

(2) Speciatim veritas non est congruentia cognitionum cum legibus intellectus vel convenientia earum inter se (ad mentem Kantii). Obiecta enim sunt norma intellectus in cogitando, non vero intellectus norma obiectorum est. Calculatio mathematica non propterea vera est, quia cum legibus mathematicis, sed quia cum ordine obiectivo concordat.

(3) Nec veritas in eo consistit, quod cognitio ab omnibus omnino vel ab omnibus alicuius aetatis sive classis recta agnoscitur. Sed e contrario propterea agnoscenda est, quia vera seu ordini reali conformis est. Et universales persuasiones ipsae possunt esse falsae, velut antiqua opinio de motu solis.

b) Nec veritas *symbolica* genuina veritas est. Veritas enim ab omnibus in eo reponitur, quod res ita cognoscitur et exprimitur, ut in se est. Si tantum symbolum rei dissimile apprehendo, res ut in se est me latet; quod symbolistae expresse concedunt. Atque etiam contraria symbola simul veritatem haberent, e. g. polytheismus, theismus, pan-

theismus, qui omnes dicuntur esse symbola eiusdem incognoscibilis divinitatis.

56 c) Nec veritas *relativa* et mutabilis est, quasi congruere debeat cum mutabilibus hominum et aetatum qualitatibus, indigentiis, opinionibus. Quod verum vel falsum est, semper verum et falsum est, quia conforme vel difforme est cum ordine reali ab hominibus independenti.

d) Multo minus veritas est *utilitas* ad fines practicos, ut pragmatismus opinatur. Veritas et utilitas sunt res diversae. Neque semper coniunctae sunt; saepe veritas inutilis est ad fines practicos et falsitas contra utilis esse potest.

e) Etiam perspicitur non posse eandem cognitionem *simul veram et falsam esse,* e. g. in theologia veram, in philosophia falsam, prout docuerunt s. 15 Averrhoistae, „duplicis veritatis" defensores; quae doctrina damnata est in Conc. Later. V 1513. Nam iudicium exprimens aliquid de aliqua re in hoc exprimendo non potest simul difforme et non difforme esse.

Ad sententiam aliquatenus similem deveniunt illi, qui dogmata christiana in se impossibilia habent, simul tamen eadem sancta et utilia religionis adiumenta praedicant, si tamquam pura symbola et allegoriae adhibeantur.[1])

57 **Definitionis explicatio accuratior.** Definitio veritatis modo statuta philosophis scholasticis communis est. Sed attentius considerata *duplicem sensum* admittit. Prout enim „cognitio" conformis vel intellegitur subiectiva vel obiectiva, etiam veritas intellegi potest vel 1) conformitas actus cum re vel 2) conformitas cognitionis obiectivae cum re seu conformitas obiecti formalis cum obiecto materiali (i. e. rei, ut repraesentatur, cum re, sicut in se est). Priori modo multi cum Suarez[2]) veritatem accipiunt, alii modo posteriori. Multi vero hoc discrimen non attendere videntur.

Secundum defensores prioris sententiae veritas huius iudicii „in inferno est ignis materialis" in eo formaliter consisteret, quod ipse actus hoc enuntians, quia est similitudo obiecti, cum obiecto conformis est. Secundum alteram sententiam veritas illius iudicii in eo consisteret, quod assertio expressa sive obiectum formale, in

[1]) Cf. e. g. *Kant,* Religion innerhalb d. Grenzen der bloßen Vernunft III et IV. — [2]) Cf. Disp. metaph. d. 8 s. 1 n. 3–5.

inferno esse ignem materialem' cum re ipsa seu obiecto materiali i. e. cum statu inferni, qui est, conformis est. In hac sententia etiam actus ipse dici potest verus, sed per denominationem a veritate enuntiationis seu obiecti formalis; i. e. vocatur verus, quoniam verum asserit. Videmur reapse hoc dicere velle, si quandoque actum ipsum verum appellamus, nempe ‚hunc actum verum exprimere'. Non posset autem actus verus dici per denominationem ab obiecto, nisi veritas de obiecto primario praedicaretur.

Haec altera sententia *praeferenda* videtur, quia cum com- 58
muni modo loquendi hominum magis concordat. Etenim a) quando de veritate loquimur, quae in actibus intellegendi consideratur quamque logicam appellavimus, fere semper significamus conformitatem eius, quod repraesentatur, cum ordine rerum, ut in se est, idque ita, ut simul nobis conscii simus nos ita vocabulo veritatis sensu maxime nativo uti. Dicimus enim veritatem inquiri, inveniri, ignorari, cognosci, certitudinem esse firmum assensum in veritatem, id, quod iudicemus, verum esse; in his et similibus formulis veritatem intellegimus conformitatem eius, quod iudicamus vel iudicandum est, cum re in se. Pariter legimus, homines „ad agnitionem veritatis venire" (1 Tim. 2, 4), eos „resistere veritati" (2 Tim. 2, 25) et „a veritate auditum avertere" (ib. 4, 4), „testimouium perhiberi veritati" (Io. 5, 33), et veritas dicitur, Christum esse Deum; in his similiter de iudiciis veris seu de veritate logica sermo fit eaque intelligitur conformitas assertionis cum re ipsa. — b) Si nomine veritatis primario conformitatem actus exprimere intenderemus, declarari non posset, cur nemo umquam conformitatem actus cum obiecto formali veritatem vocet. Cum haec conformitas semper adsit, quia actus necessario conformis est cum obiecto suo formali, quod exprimit, omnia iudicia vera dicenda essent; quod dissonat a communi conceptione. — c) Confirmatur idem eo, quod etiam, quando veritas de propositionibus praedicatur, numquam propositio formalis, sed semper obiectiva intellegitur.

Ita etiam *S. Thomas* scribit: „Ad id in intellectu veritas pertinet, quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit . . Illud, quod intellectus intellegendo dicit et cognoscit, oportet esse rei adaequatum, ut scilicet ita sit in re, sicut intellectus dicit." (C. gent. I 59.)

Th. 10. Veritas tantum in iudicio invenitur; sed etiam falsitas ei inesse potest (1. p.). Apprehensio vero, quae nihil affirmat, neque veritatem neque falsitatem continet (2. p.).

Demonst. 1. p. A) *Veritas* tantum in illa cognitione in- 59
veniri potest, quae se ad aliquam rem convertit exprimens

sive dicens eam sic vel aliter se habere. Ita enim id, quod de re dicit, rei conforme esse et sic cognitio vera esse potest. Sin autem cognitio de nulla re quidquam dicit, talem conformitatem habere nequit. Atqui tantum iudicium ad aliquam rem se convertit, nempe ad rem subiecto exhibitam eamque sic vel aliter se habere affirmat: e. g. ‚Deus est aeternus'. Idea autem, quae nihil affirmat, tantummodo aliquid sistit, velut ‚aeternus', sed de nulla re id enuntiat. Ergo.

Aliter. Veritas est conformitas inter cognitionem et rem seu inter id, quod cognitio de aliqua re exprimit sive dicit, et hanc rem, sicut in se est. Atqui tantum in iudicio talis conformitas inveniri potest. Nam solum iudicium se convertit ad certam rem eamque sic vel aliter se habere affirmat, tribuens ei aliquod praedicatum seu exprimens de ea identitatem cum aliquo praedicato; quae identitas asserta cum re, ut est in se, conformis esse potest.

60 **Nota.** Non pauci scholastici, ut Capreolus, Fonseca, Suarez, Conimbricenses, Urráburu etiam simplici apprehensioni veritatem logicam tribuunt, quoniam adsit conformitas inter actum apprehensionis et eius obiectum formale. Attamen hic usus videtur solum philosophicus esse. Usus vulgaris ideae veritatem non tribuit, quia conformitatem actus cum obiecto formali veritatem non vocat, ut supra indicavimus. Hi auctores, ut tamen concordent cum Aristotele et S. Thoma, qui soli iudicio veritatem addicere videntur, ulterius addere solent, in iudicio veritatem *perfectius* inesse quam in apprehensione; in iudicio enim cognosci veritatem adesse, in apprehensione eam tantummodo adesse, non vero cognosci.[1]) Verum quidem est, in iudicio implicite saltem veritatem cognosci. Attamen hoc non videtur proprium et peculiare illud discrimen esse inter modum, quo iudicium et quo apprehensio ad veritatem se habent.

61 **B)** Multa *iudicia falsa* sunt. Ergo iudicio falsitas inesse potest. — Et quidem propterea iudicium falsitatem continere potest, quia ad certam rem se convertit exprimens de ea identitatem vel diversitatem cum aliquo praedicato, quae a re ipsa difformis esse potest, e. g. dicens duellum honestum esse.

[1]) Cf. *Urráburu*, Log. p. 418 ss.

Demonst. 2. p. Apprehensio, quae nihil iudicat, sed 62
tantum aliquid concipit, e. g. ‚album', ad nullam rem sive subiectum se convertit tribuens ei identitatem vel diversitatem cum illo, quod concipit, dicens e. g. ‚nix est alba', ‚gramen est album'. Propterea neque cum certa re conformis neque ab ea difformis dici potest, quia ad nullam rem se refert. Ergo apprehensio, quae nihil affirmat, nec veritatem nec falsitatem continet.

Quae modo exposita sunt, *S. Thomas* ita exprimit: „Veritas est tantum in intellectu componente et dividente, non autem in sensu neque intellectu cognoscente, quod quid est [i. e. in apprehensione]." „Quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum. Et hoc facit componendo et dividendo."[1])

Obiectiones. 1. Etiam apprehensio veritatem habet, quia semper 63
v. g. apprehendens ens vel circulum conformis est cum suo obiecto formali. — *Resp.* N. assertum. Ad rat. D. et haec conformitas actus cum obiecto formali est veritas illa, de qua thesis agit N. haec conformitas adest quidem, attamen de ea non agitur C. — Spectata conformitate actus cum obiecto formali, quae vix umquam veritatis nomine honestatur, nulla fit comparatio inter iudicium et ideam. Immo haec conformitas semper adest, etiam in falso iudicio, quia actus nequit aliquid (obiectum formale) exprimere, nisi ei conformis est.

2. Quod apprehensio exprimit, e. g. ‚album', etiam conforme est cum aliquo obiecto materiali, v. g. nive. Ergo etiam veritas tamquam conformitas cum obiecto materiali de apprehensione praedicari potest. — *Resp.* D. ant. et hoc dicitur de nive N. exprimitur sine relatione ad nivem C. Ideo haec conformitas de *apprehensione* praedicari non potest; alioquin eodem iure etiam falsitas de eadem apprehensione praedicanda esset, quia ‚album' non est conforme cum gramine.

3. Si cetum ut piscem apprehendo, piscis dicitur falsa apprehensio; ergo apprehensio falsa esse potest. — *Resp.* D. ant. dicitur falsa apprehensio tamquam *praedicata* de ceto, i. e. iudicium est falsum C. („cetum tamquam piscem apprehendere" iam est iudicare) apprehensio in se sola spectata N.

[1]) 1 q. 16 a. 2.

4. Nonnumquam obiectum aliter apprehenditur ac est; v. g. sol apprehenditur parvus, cum sit magnus. — *Resp.* D. in apprehensione intellectuali N. in sensitiva (de qua nunc non agitur) Tr.

*64 ***Quaedam apprehensiones veritatem participant.** Quod supra dictum est, apprehensionem veritatem non habere, aliqua restrictione indiget (quae ceterum iam per additamentum „apprehensio, quae nihil affirmat" indicabatur). Sunt enim quaedam apprehensiones, quae minime quidem formaliter iudicia sunt, attamen imperfecta quadam ratione naturam iudicii imitantur et ita etiam veritatem imperfecte participare possunt. Hae sunt apprehensio comparativa, intuitiva, complexa.

1. *Apprehensio comparativa* complura comparat sive eorum relationem percipit, e. g. identitatem subiecti et praedicati, consequentiam syllogismi, sed eam non affirmat. Imitatur proinde aliqua ratione iudicium eiusque veritatem, attamen non est ipsum iudicium, quippe quod tantum praeparat. Confer infra n. 90.

2. *Apprehensio intuitiva* immediate rei exsistentiam, ut in se est, percipit. Invenitur in experientia interna actuum propriorum vel in visione Dei. Alia apprehensio dicitur abstractiva, qualis est apprehensio rei possibilis, repraesentatio Dei exsistentis, qualem nunc habemus, qua exsistentia Dei repraesentatur quidem, sed non immediate in se percipitur. Apprehensio intuitiva virtualiter iudicium de exsistentia rei perceptae est ideoque etiam veritatem iudicii aliqua ratione participat.

3. *Apprehensio complexa* complures notas ut identicas proponit, e. g. ‚Deus omnipotens'. Quare, si haec coniunctio absolute et serio fit, apprehensio aliquo modo iudicium eiusque veritatem imitatur. (Sin autem duarum idearum coniunctionem, quam v. g. ab alio factam [infernum non esse aeternum] audio, solum in modum quaestionis apprehendo, apprehensio complexa non oritur, quia ego notas non serio complector sive coniungo. Sed mentis tantum quaedam comparatio adest.)

Nihilominus *falsae,* sicut iudicium, istae apprehensiones esse 65*
non possunt. Apprehensio enim *comparativa* nexum aliquem inter subiectum et praedicatum non absolute statuit, sed tantum percipit eum his rationibus, quae et sicut se manifestant, suaderi; id vero numquam falsum est, etiamsi nexus ipse per iudicium absolute affirmatus falsus esset. Apprehensio *intuitiva* intellectus (conscientiae) falsa esse nequit, quia intellectus affectionem internam intueri nequit, quae non est. Tantum apprehensio *complexa aliquam falsitatem* habere potest, quando duas ideas ut sociabiles vel coniunctas serio exhibet, quae sociabiles vel coniunctae non sunt, ut „Deus iniustus", „voluntas libertate carens".

***Th. 11. Veritas gradus quidem non admittit, quatenus omnen falsitatem excludit, admittit autem spectata conformitate (1. p.). Item falsitas gradus admittit (2. p.).**

Demonst. 1. p. Si iam quaeritur, possintne fortasse in 66*
veritate gradus esse, ut una cognitio verior dici queat quam alia, duplex elementum in veritate distinguendum est, positivum et negativum. Positivum est ipsa conformitas. Negativum est absentia omnis falsitatis; quae nihil est nisi proprietas veritatis negativo modo expressa et necessario conformitatem consequens. Itaque asseritur, si in veritate tantum hoc spectetur, quod absit falsitas, gradus esse non posse, eos adesse autem, si spectetur conformitas positiva.

A) Quod indivisibile est, gradus non admittit. Atqui exclusio omnis falsitatis indivisibilis est, quia magis et minus adesse non potest. Sub hoc respectu igitur non est magis verum Deum esse, quam homines exsistere, quia neutrum ulla ratione falsum est. Ergo veritas, quatenus excludit omnem falsitatem, gradus non admittit.

B) Conformitas positiva cognitionis cum re maior vel minor, perfectior vel imperfectior esse potest. Ergo veritas spectata ipsa conformitate gradus admittit. Certe conformitas perfectior est,

1. si est *conformitas necessaria* et immutabilis, quam si tantum contingens est. Ideo magis verum est Deum esse aeternum, quam Deum creasse mundum vel Parisios

exsistere. Nam fieri nequit, ut Deus non sit, fieri autem potuit, ut mundum non crearet.

2. Si *cognitio perfectior* est, rem perfectius exprimendo. Quo perfectius enim cognitio rem exprimit, eo conformior est rei. Itaque veritas perfectior est, si cognitio a) conceptu proprio fit, quam si solum analoga est: proinde maior veritas in cognitione Dei et angeli quam in nostra invenitur. Pariter b) perfectior conformitas adest, si cognitio distincta, quam si tantum confusa est, si plures notas de subiecto praedicat, quam si pauciores.

*67 **Demonst. 2. p.** Falsitas est difformitas cognitionis (videlicet iudicii) cum re, quatenus cognitio exhibet opposita iis, quae rei in se insunt. Atqui talis difformitas gradus admittit. Ergo. Nam

1. Quae iudicium profert, rei *magis minusve opposita* esse possunt. Ita magis falsum est Hannibalem vixisse saec. 4 p. Ch., quam eum vixisse saec. 2 a. Ch.; item magis falsum, utpote subiecto magis repugnans est, Deum non exsistere, quam mundum non exsistere.

2. Iudicium potest *plures vel pauciores notas* oppositas complecti. Magis igitur falsum est Christum esse purum hominem *neque* a mortuis resurrexisse, quam eum esse purum hominem.

Art. 2. Quales status mentis in assequenda veritate distinguendi sint

68 Intellectus ad assequendam veritatem ex natura sua ordinatus est sicut voluntas ad prosequendam bonitatem, ideo videmus homines sicut ad bonum ita pariter ad verum obtinendum pondere naturae moveri. Sed veritatis assecutio plus minusve perfecta esse potest. Sic varii status mentis in veritate assequenda distinguuntur. Qui iam diligenti expositione declarandi sunt. Sunt autem potissimum hi:

1. *Nescientia et ignorantia.* Utraque est carentia verae cognitionis, et quidem nescientia *simplex carentia* est, ut

cum infans catechismi scientia caret, ignorantia vero plerumque *privatio* verae cognitionis intellegitur, ut cum adultus catechismum nescit.

Utraque vel totalis vel partialis est, prout vel nihil vel aliquid tantum de aliqua re scitur.

Nescientia et ignorantia alicuius rei etiam cum falso iudicio de eadem re simul esse potest. Qui in examine interrogatus falsum responsum dat, rem nescire dicitur; errat, quatenus falsum profert, nescit, quatenus vera cognitione caret. Sed interdum nescientia strictiore sensu intellegitur, talis nempe, in qua veritas neque ad modum quaestionis apprehenditur. Talis est nescientia astronomiae in puerulo vel nescientia fidei catholicae in pagano, qui nihil umquam de ea audivit.

II. *Dubium.* Dubium generatim haesitatio seu fluctuatio 69
mentis inter duo opposita dicitur. Pro duplici modo, quo haec fluctuatio intellegi solet, duplex dubium distinguitur:

1. Dubium stricte dictum est *suspensio iudicii* inter duo opposita; quod iterum vel *negativum* est, si pro neutra parte rationes alicuius momenti occurrunt, vel *positivum*, si tales rationes adsunt.

2. Dubium latius dictum est *formido erroris*, ne forte oppositum verum sit. Adest igitur, si quis iam de aliqua re iudicat, attamen simul timet, ne forte iudicium suum falsum sit.

Sed formido errandi iterum duplex distingui potest, formalis et causalis. Formido *formalis* est timor voluntatis ex eo oriundus, quod intellectus apprehendit oppositum non impossibile esse. Formido *causalis* est ipsa haec apprehensio intellectus causans formidinem voluntatis. In definitione dubii latius dicti formido intellegenda est causalis. Dubium enim est status intellectualis, proinde non actus voluntatis; attamen actus appetitivi operationes intellectuales comitari solent.

Dubium stricte et latius dictum in hoc exemplo habetur. Si homo lutheranus hausta aliqua religionis catho-

licae notitia religionem suam pro vera habere pergit, sed aliqua errandi formidine tangitur, dubium latius dictum habet. Sin autem inquisitione continuata iam anceps haeret, nesciens, quid iudicet, iam dubium proprie dictum adest.

Utrumque dubium vel *prudens* vel *imprudens* est, prout ratio ad dubitandum sufficiens vel insufficiens adest. Scepticus de exsistentia mundi vel sui ipsius dubitans sane imprudenter, iudex autem de veracitate testis suspecti anceps haerens prudenter dubitat. Patet autem utrumque dubium esse dubium serium. Quid sit dubium methodicum, supra explicavimus.

Dubio propinqua est *suspicio*, v. g. de fidelitate amici. Suspicio non est assensus, sed tantum apprehensio alicuius rationis ad iudicandum inclinantis, praesertim apprehensio talis, quae bonam opinionem de alio vel iudicium, quod quis iam habet, labefactare tentat. Saepe autem vox latina suspicio iudicium coniecturale significat.[1])

70 III. *Opinio* est assensus cum formidine prudenti errandi, velut si quis opinatur fore, ut amicus ex gravi morbo convalescat.

IV. *Certitudo* est assensus firmus in veritatem cum exclusione formidinis errandi.

V. *Error* denique est iudicium falsum.

Porro singuli hi status mentis praeprimis intelleguntur *actuales;* sed etiam *habituales* intellegi possunt. Sic homo christianus certitudinem fidei actualem habet, cum actum fidei elicit, quando autem dormit, habitualem.

Praeterea pleraque ista nomina non tantum statum mentis, sed saepissime etiam *obiectum* eius, correspondenti modo manifestatum sive apprehensum, significant; ita dicimus: „ego sum certus“ et „res est certa“, „ille haeret dubius“ et „res est dubia“.

---

[1]) Non ‚Verdacht‘, sed ‚Vermutung‘.

Art. 3. De errore

Error est iudicium falsum seu tale, quod falsum pro 71
vero statuit. Ad id requiritur, ut, quod asseritur, aliqua ratione menti tanquam verum appareat. Mens enim ad veritatem amplectendam facta est sicut voluntas ad bonum appetendum; sicut igitur voluntas nihil appetere potest, nisi proponatur ut bonum, neque intellectus quidquam affirmare potest, nisi aliqua ratione verum appareat.

De causis errorum. Intellectus ad errorem non sua natura determinatur, cum sit per se infallibilis, sed voluntas plerumque causa impellens est. Attamen ex parte intellectus, ut modo indicavimus, aliqua falsa species veri concurrit. Itaque duae causae proximae ad errorem producendum cooperantur, quae ulterius diversis causis remotis determinantur.

1. *Ex parte intellectus* ratio erroris proxima semper est aliqua apparens similitudo duorum, quae confunduntur, quatenus unum alteri falso substituitur. Eiusmodi apparentem similitudinem res, eventus, relationes, sententiae, argumenta et alia habere possunt, e. g. duo genera baccarum, unum utile, alterum veniferum, superbia et debita „sui aestimatio", recusatio obedientiae et „libertas", veneratio et „adoratio" Matris Dei, mutatio rei vere antiquatae et indebita „novatio", revolutio et honesta „liberatio", auctoritas vere et apparenter fide digna.

Falsa autem *veri species efficitur* variis causis, praesertim his:

a) Imaginatione et idearum associatione efficitur, ut perceptionibus sensuum, conscientiae, memoriae alienae repraesentationes et ideae admisceantur easque falso compleant ac modificent. Sic fit, ut verba et eventus aliter ac sunt audire, legere, videre videamur, ut nomina, homines, eventus falso permisceamus, ut, quae audivimus, in reproductione memoriali adulteremus.

b) Alia causa frequentissima haec est, quod idem vocabulum complures ideas similes et tamen diversas significat, ut accidit in verbis analogis et in diversa eiusdem vocabuli suppositione; quae ideae deinde perperam confunduntur.

c) Errores veteres sub specie veri ad novos errores inducunt. Huc spectant praeiudicia, illa maxime, quae a pueris recepta sunt ideoque firmius haerent. Praeiudicia autem varia sunt pro varietate aetatis, nationis, familiae, status socialis, professionis religiosae, educationis.

d) Auctoritas falsa speciem genuinae prae se ferens, ut auctoritas scientiae adulterinae, opinio publica.

e) Denique defectus attentionis plerumque confert, ut in locum veri falsum substituatur. Qui iterum ex imbecillitate vel defatigatione mentis oritur, ex animi naturali inconstantia, ex sensationis vel affectus vehementia et perturbatione, ex voluntatis influxu, quae attentionem alio dirigit, vel denique ex eo, quod iam obiecti subtilitas, ratiocinii prolixitas, similitudo cum aliis rebus attentionem difficilem reddunt.

72 2. *Voluntas causa efficax* erroris est, quatenus directo imperio intellectum praemature, obiecto non sufficienter perspecto, ad iudicium determinat. Ad iudicium autem imperandum amore alicuius boni movetur, nempe

a) amore rei affirmandae, quia receptis opinionibus, animi desideriis, contradicendi prurigini congruit;

b) amore ipsius assensus, propter impatientiam, qua assensum differe non vult, propter propositae quaestionis vilipensionem vel propter vanitatem, qua quis diuturnam considerationem dedecere censet, ob necessitatem certi consilii capiendi vel ob alia motiva.[1])

Propterea in rebus considerandis vitanda est praecipitantia, quia primo intuitu omnia, quae in obiecto consideranda sunt, complecti plerumque non possumus, et assuescendum est ordinatae obiectorum considerationi. Non minus

[1]) Cf. *Tongiorgi*, Log. n. 714.

autem ad errores cavendos puritas animi ab inordinatis affectionibus necessaria est purusque veritatis amor.

Art. 4. De opinione et probabilitate

Cum opinione notio probabilitatis conexa est. De 73
utraque aliqua exponenda sunt, quia utriusque usus in vita vulgari perpetuus est et quia theologia moralis his conceptibus utitur, ubi de systematibus moralibus agit. Ibi enim inquirit, utrum, quando dubium est, sit actio licita necne, utrum probabiliorismus seu aequiprobabilismus, an vero probabilismus tenendus sit. Probabilismus docet in dubio de obligatione licere agere secundum sententiam, quae obligationem negat, si sit vere probabilis, posse autem eam probabilem esse, etsi opposita sit probabilior.

Probabilis dicitur sententia, quae gravi quidem ratione suadetur, non tamen tali, quae omnem prudentem formidinem excludit. Sicut opinio ita etiam obiectum, quod tali opinione asseritur, probabile vocatur.

Itaque ad veram probabilitatem non quaelibet ratio sufficit, sed solida vel aliquo modo *gravis* ratio requiritur. Illud enim tantummodo „approbatione" dignum dici potest, quod assensum viri prudentis meretur. Vera igitur probabilitas non adest, si aliqua ratio tantum ex levitate attentionis vel ex inordinata inclinatione voluntatis gravis apprehenditur vel si non alia ratio adest, nisi quod oppositum nondum stricte certum est: idque multo minus in rebus moralibus, ubi maxima quaedam probabilitas sufficit, ut res (moraliter) certa existimetur.

Probabilitas vel *interna* vel *externa* est. Probabilitas interna adest, si rationes ex ipsa re petitae sunt, externa vero consistit in aliqua auctoritate opinionem defendente. Itaque si quis actionem licitam esse ex principiis moralibus probare potest, probabilitatem internam possidet, si quis vero tantum scit S. Alphonsum docere rem licitam esse, solum externam habet. Probabilitas externa adesse potest, etiamsi quis nullam internam de ea re habeat; amittit

vero vim suam, si quis ex internis rationibus certo scit rem non ita se habere, ut auctores dicunt.

74 **Opinio** est assensus cum prudenti formidine errandi. „Opinio" inquit S. Thomas, „significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius."[1]) Res igitur, quam asserit, non plus quam probabilis est. Attamen opinio eam non solummodo tamquam probabilem, sed absolute asserit.

Etenim circa nexum quendam inter subiectum et praedicatum duo iudicia versari possunt: 1^0 iudicium asserens nexum esse probabilem, e. g. ‚probabile est fore, ut amicus ex morbo convalescat'; quod iudicium plane certum esse potest; — 2^0 iudicium nexum ipsum absolute asserens, e. g. ‚amicus convalescet'; a quo iudicio formido prudens errandi non est exclusa. Hoc posterius iudicium opinio est.

In opinione igitur formido errandi exclusa non est. Potest quidem fieri, ut formido actu non adsit, quia ex inadvertentia vel alia causa nulla ratio contraria mentem subit. Sed per motivum obiectivum exclusa non est.

Opinio proinde potest esse probabilis vel improbabilis, prout nexus obiectivus vere vel non vere probabilis est. Similiter vel prudens vel imprudens est. Prudens est, si motivo gravi innititur et firmitatem assensus non aliam adhibet, quam motiva merentur, imprudens vero, si ex uno alterove capite peccat.

Opinio igitur, sicut supra declarata est, etiam cum subiectiva firmitate eaque pertinaci enuntiari ac teneri potest; quae tamen firmitas rationabilis non est. Saepe autem opinio paulo angustius accipitur tamquam assensus sine tali firmitate (tantum „forsitan", „videtur"). Talem S. Thomas indicare videtur scribens: „Opinio non habet firmum assensum; est enim quiddam debile et infirmum secundum philosophum."[2])

---

[1]) 1 q. 79 a. 9 ad 4. — [2]) 2, 2 q. 2 a. 9 ad 2.

***Th. 12. Sententia aliqua potest esse probabilis, etsi opposita sit etiam probabilis, immo probabilior (1. p.). Potest insuper intellectus unam sententiam opinando ut veram et simul oppositam ut probabilem tenere (2. p.).**

Demonst. 1. p. Duae sententiae inter se oppositae possunt 75*
simul suaderi rationibus gravibus idque etiam ita, ut unius rationes sint plures vel graviores quam alterius et proinde illa probabilior sit. Nam ex eo, quod opposita sententia gravibus vel gravioribus rationibus suadetur, non consequitur pro alia non etiam graves rationes stare. Profecto, si unam sententiam septem auctores defendunt, contrariam tres aeque graves, posterior sententia veram probilitatem (externam) possidet, etsi alia maiorem habet. Pariter probabile manet, puerum ex morbo, in quo 70 pueri mori, 30 autem convalescere solent, incolumem evasurum esse, licet probabilitas infelicis exitus maior sit. Ergo sententia potest esse probabilis, etsi opposita sit etiam probabilis, immo probabilior.

Obiectio. Rationes oppositae sicut pondera librae imposita invicem compensant, ut tantum maneat excessus in una parte. Ergo si propositio opposita aeque vel magis probabilis est, alia probabilis esse desinit. — *Resp.* D. si rationes directe seu in se ipsis spectatae sunt oppositae C. si tantum ratione sententiarum probandarum sunt oppositae, in se autem diversae N. Rationes tales: ‚pro hac sententia stat S. Thomas,' et ‚non stat' invicem utique directe tollunt, non vero rationes in exemplis supra allatis.

Demonst. 2. p. Eatenus tantum ista duo iudicia ‚haec 76*
sententia est vera', ‚sed opposita etiam probabilis est', non simul in intellectu esse possent, quatenus unum necessario negaret, quod affirmat alterum. Iam vero sic non est. Nam opinio illa, saltem si prudens est et assensu non omnino firmo unum verum esse affirmat, implicite quidem eodem assensu affirmat oppositum non esse verum; sed non propterea asserit id nulla ratione suaderi. Ergo potest intellectus opinando unam sententiam ut veram et simul oppositam ut probabilem tenere.

Nota. Sunt, qui etiam defendant intellectum unum ut verum et simul oppositum ut probabilius tenere posse.[1]) Quae sententia difficilis est. Nam qui unum prae alio tamquam verum tenet, oppositum ut falsum affirmat et eo ipso tamquam minus probatum quam illud affirmare videtur.

*77 **Gradus probabilitatis** diversi sunt pro rationum numero et pro diverso earum pondere. Si rationes pro una et altera parte diversae naturae et gravitatis sunt, ut fere semper contingit in hypothesibus scientificis, probabilitas prudenti iudicio ponderanda est. Interdum autem, si de probabilitate eventus futuri agitur, velut de probabilitate felicis successus operationis chirurgicae, probabilitas arithmetice definiri potest per *„calculum probabilitatis"* (Wahrscheinlichkeitsrechnung, calcul des probabilités), in qua eventus praeteriti in hac re, una ex parte faventes, altera ex parte non faventes, inter se comparantur et deinde videtur, in qua parte qualis sit numerus maior.

Art. 5. De certitudine

§ 1. De certitudine in genere

Th. 13. Certitudo est assensus firmus in veritatem cum exclusione formidinis errandi (1. p.). Attamem prudens tantum, non vero imprudens formido a certitudine excluditur (2. p.).

78 **Demonst. 1. p.** Si inspicimus, quid communis hominum concipiendi et loquendi consuetudo nomine certitudinis designet, invenimus:

a) Significatur *assensus* seu iudicium; nemo enim ideam vocat certam.[2]) Et quidem assensum *in veritatem* significamus; certitudo enim status mentis perfectissimus intellegitur, qualis iudicium falsum esse nequit. Assensus igitur erroneus tantum apparens certitudo esse potest.

---

[1]) Ita v. g. sentiunt Card. de *Lugo* (De fide, disp. 20 s. 3 n. 121), *Schiffini*, *T. Pesch.* — [2]) Vocabulum certitudo per se quidem terminus abstractus, non concretus est et qualitatem assensus significat. Sed etiam sicut terminus concretus sumi solet, significans ipsum assensum certum.

b) Certitudo est *firmus* assensus. Iudicium certum enim intellegimus assensum a fluctuatione dubitandi liberum itaque firmum. Id elucet ex dicendi modis, quibus certitudinem explicamus: hoc mihi constat, firmiter persuasum habeo etc.; atque per hoc certitudinem ab opinione distinguimus.

Sed notandum est firmitatem debere esse *rationabilem* seu firmitatem per se i. e. talem, quae nititur in perspicientia oppositum exclusum esse. Firmitas *irrationabilis* seu firmitas per accidens illa est, quae solum voluntate determinatur, intellectu non cognoscente oppositum exclusum esse. Talis firmitas etiam in iudicio non certo, immo in falso adesse potest, velut cum quis cum voluntatis pertinacia errori adhaeret.

c) *Exclusio formidinis* errandi requiritur. Formido er- 79
randi in eo consistit, quod intellectus, quando iudicat aliquid sic esse, simul apprehendit oppositum non excludi ideoque periculum errandi adesse. (Haec est formido causalis. Formido formalis est actus voluntatis timens talem errorem, qui ex apprehensione illa oritur et quidem eo magis, quo gravior est veritas, de qua agitur. Cf. n. 69. Formido errandi interdum etiam dubium [latius dictum] appellatur.) Talis formido in certitudine exclusa esse debet, quod similiter ex verbis apparet, quibus certitudinem describimus: plane securus sum in hac re, non iam dubito etc. — Itaque haec formido exclusa est, si menti manifestum est oppositum impossibile esse, i. e. si assensus firmus est. Exclusio igitur formidinis firmitati assensus nihil novi addit, sed tantum magis eam explicat.

Ergo certitudo recte definitur: firmitas assensus in veritatem cum exclusione formidinis errandi.

Definitio demonstrata est *communis* apud scholasticos. *S. Thomas* eam sic enuntiat: „Certitudo proprie dicitur firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile.“ [1])

[1]) 3 sent. d. 26 q. 2 a. 4 c.

80 **Demonst. 2. p.** Non raro accidit, ut in homine fidei valde addicto contra veritates fidei apprehensiones oriantur, quae apparentem possibilitatem oppositi percipiunt, e. g. fortasse Christum in Eucharistia non esse, fortasse S. Pontificem aliquando falsum definire posse — nihilominus ut simul idem homo perspiciat credibilitatem harum veritatum plane manifestam esse adeoque illam apparentiam et formidinem errandi inanem esse. Talis igitur formido, quae simul inanis esse perspicitur *imprudens* vocatur. E contrario formido *prudens* est, quae non simul inanis cognoscitur.

Iam vero ex his colligitur *formidinem imprudentem* cum certitudine constare posse. Certitudo enim tantum postulat, ut necessitas obiecti sive nexus inter subiectum et praedicatum manifesta sit. Atqui hoc esse potest, etiamsi formido imprudens seu apprehensio ista adsit, quae oppositum aliqua ratione suaderi percipit, dummodo simul perspiciatur hanc rationem inanem esse. Attamen opus non est, ut talis ratio in se ipsa perspiciatur inanis; sufficit, ut hoc indirecte cognoscatur ex eo, quod oppositum plane certum sit. Sic hominibus theologice non excultis ex infallibilitate Ecclesiae constat obiectiones contra fidem inanes esse.

Sed *formidinem prudentem* certitudo excludit, quia talis formido non perspicitur esse inanis ideoque necessitas rei affirmandae non iam manifesta est.

Itaque nihil obstat, quominus etiam eodem tempore cum assensu certo, v. g. cum actu fidei, simul adsit actualis formido imprudens, velut tentatio contra fidem. Psychologiae nihil obstat, quia actus diversi sunt, nihil logice obstat, quia actus non se habent ut affirmatio et negatio efficax eiusdem.

81 *Nota.* Ergo eiusmodi „dubia contra fidem", qualia descripta sunt, innoxia esse perspicitur. Plerumque cum quadam necessitate psychologica in intellectu oriuntur, praesertim si quis contraria fidei ab aliis prolata legit sive audivit vel generatim in atmosphaera spirituali scepticismo infecta vivit. Non raro etiam cum vehementia et constantia instar cogitationum coactivarum mentem vexant.

Iuvat igitur scire, a) talia „dubia" non adversari certitudini neque tollere assensum fidei. b) Proinde omnino improprie dubia de fide appellantur. Non enim suspensio fidei sunt, sed irrationales apprehensiones. c) Tales apprehensiones saepissime potius processus psychologici quam logici sunt, ideoque psychologice tractandae sunt, praesertim quatenus quiete transmittuntur.

Obiectiones. 1. Homines etiam certitudinem habent de rebus 82
falsis. — *Resp.* D. veram N. falso putatam seu mere subiectivam cum firmitate irrationabili C.

2. In certitudine non semper necessitas obiecti adest, v. g. non est necessarium Adamum peccasse. — *Resp.* D. non semper necessitas antecedens C. non saltem consequens N.

3. Dicimur etiam dormientes habere certitudinem, e. g. de veritate fidei, quamquam nullum assensum elicimus. — *Resp.* D. haec est certitudo actualis, de qua thesis agit N. habitualis C.

Certitudo obiectiva. A certitudine assensus certitudo ob- 83
iecti distinguenda est, quae obiectiva vocatur. Nam etiam obiectum assensus certi certum vocare solemus. Dicimus enim rotationem terrae certam esse, de certitudine resurrectionis Christi dubitandum non esse. Certitudo obiectiva est *necessitas obiecti menti manifesta.* Menti manifestum est obiectum ita se habere, ut aliter se habere nequeat. Per hoc assensus ipse redditur certus, quia habet firmitatem cum exclusione formidinis errandi. Necessitas ipsa est proprietas obiecti, manifestatio autem per apprehensiones intellectus fit, quibus subiectum et praedicatum et utriusque identitas apprehenditur sive perspicitur.

Quatenus sic certitudo obiectiva certitudinem subiectivam determinat, certitudo obiectiva etiam *motivum* certitudinis assensus dicitur. Id, quod movet, est necessitas obiecti, manifestatio autem apprehensiva est condicio, ut necessitas movere queat.

***Th. 14. Certitudo gradus admittit, non quidem spectata exclusione formidinis errandi (1. p.), attamem spectata firmitate assensus (2. p.).**

Declar. Non raro certitudini diversi gradus ascribuntur. 84*
Dicitur certitudo augeri vel minui, maior vel minor esse. Thesis exponit, qua ratione id recte intellegendum sit. In

certitudine distingui potest duplex respectus, unus positivus, nempe ipsa firmitas, alter negativus, exclusio formidinis, quae quasi proprietas est ex firmitate resultans. Sub priori respectu certitudo gradus excludit, sub posteriori eos admittit.

Demonst. 1. p. Quod indivisibile est, gradus non admittit. Atqui exclusio formidinis errandi indivisibilis est: quia exclusio *omnis* formidinis (prudentis) non potest magis et minus adesse. Ergo certitudo spectata exclusione formidinis errandi gradus non admittit.

85 **Demonst. 2. p.** Diversi gradus firmitatis ex duplici fonte provenire possunt.

a) In firmitate assensus imprimis gradus adesse possunt, si *necessitas obiectiva* menti manifesta gradus admittit. Huic enim firmitas assensus innititur eique proportionata est; quo maior igitur haec necessitas est, eo maior firmitas est vel esse potest. Atqui necessitas obiecti manifesta gradus admittit. Nam

potest α) ipsa *necessitas* maior minorve esse: metaphysica principiorum metaphysicorum sive legum mathematicarum maior est quam necessitas physica legum naturae vel necessitas moralis.

Potest β) *claritas*, qua necessitas manifestatur, maior vel minor esse: claritas rerum aspectabilium per se maior est quam supersensibilium, et claritas certitudinis immediatae maior est quam claritas mediatae.

b) Praeterea certitudo etiam a *voluntate* determinari potest, scilicet certitudo libera (quae mox declarabitur). In tali certitudine libera voluntas, quippe quae exsistentiam firmitatis determinat, etiam gradum eius augere potest.

§ 2. De speciebus certitudinis

Certitudinis diversi inveniuntur modi sive species. Quia certitudo perfectissimus status mentis et finis omnis laboris mentalis est, etiam has species earumque notabilia discrimina inspicere oportet. Sunt autem potissimum tres species bipartitae secundum diversos respectus divisae:

1. Certitudo *necessaria* et *libera.*
2. Certitudo *metaphysica, physica, moralis.*
3. Certitudo *naturalis* et *scientifica.*

Th. 15. Certitudo assensus alia necessaria (1. p.), alia libera est (2. p.).

Declar. Certitudo *necessaria* intellegitur ille assensus 86
certus, quem intellectus, necessitate obiecti perfecta claritate perspecta, cum necessitate ponit, ut igitur non possit non assentire.

Certitudo vero *libera* ille assensus certus intellegitur, quem, necessitate obiecti perspecta, intellectus non elicit nisi directo voluntatis imperio determinatus. Dicitur autem actus intellectus *directe* vel in se a voluntate imperari, si voluntas exsistentiam actus immediate determinat, indirecte vero vel in causa, si intellectum ad considerationem obiecti movet, ex qua deinde iudicium oritur.

Itaque quando intellectus de principio contradictionis cogitat, tam clare eius necessariam veritatem perspicit, ut statim cum necessitate ad assentiendum trahatur; talis certitudo necessaria dicitur. Sin autem intellectus per voluntatem ad consideranda argumenta pro exsistentia Dei applicatur, hanc quidem exsistentiam etiam tanquam necessariam perspicit, attamen solum cum ea claritate imperfecta, ut assensus non cum necessitate sequatur, sed impulsu voluntatis opus sit. Talis certitudo (interim: si revera exsistit) libera nominatur, non propterea, quia consideratio argumentorum, sed quia directe ipse assensus imperatus est; indirectum enim imperium etiam in certitudine necessaria locum habere potest.

Certitudo libera praesertim *in actu fidei* invenitur.[1]) „Vera et communis sententia inter theologos docet", inquit Card. *de Lugo*, „intellectum [credentis] necessario pendere a voluntate per actualem et posivitum affectum imperantem

[1]) Assensum fidei liberum esse in Conc. Tridentino et Vaticano definitum est. Explicatio theologica ulterius asserit eum eatenus esse liberum, quatenus directo voluntatis imperio determinetur.

assensum fidei, a quo affectu fides denominatur voluntaria et libera." Et pergit, „non sufficere voluntatem solum applicandi intellectum ad cogitandum de motivis, sed requiri voluntatem immediatam credendi; multi enim perpendunt vim motivorum et non credunt."[1])

Thesi *adversantur* nonnulli scholastici[2]), qui vel tenent iudicium eundem esse actum ac perspicientiam nexus, quae utique voluntate directe imperari nequit, vel non admittunt evidentiam imperfectam, sed tantum perfectam, quae necessitatem infert, vel denique comprehendere non possunt perspicientiam nexus adesse et tamen intellectum non cum necessitate ad assensum impelli.

Veteres nomen quidem certitudinis liberae non adhibuerunt neque etiam, quam nos evidentiam imperfectam appellamus, evidentiae nomine honestarunt. Sed in re ipsa nobiscum consentiunt, quod inspicienti tractatus eorum de libertate fidei conscriptos manifestum fit.

87 **Demonst. 1. p.** Certitudo necessaria est assensus certus, quem, postquam veritas clare se manifestavit, intellectus cum necessitate praestat, ut non possit non assentiri, multo minus dissentire. Atqui talis certitudo admittenda est. Nam

a) *experientia* interna constare videtur nos saepe tam perfecta cum claritate obiecti veritatem perspicere, v. g. duo et duo esse quattuor, idem non posse simul esse et non esse, ut intellectus sponte assensum eliciat, nullo voluntatis imperio interveniente.

b) Idem *a priori* satis colligitur ex indole omnis potentiae necessariae, in cuius natura non quidem hoc est positum, ut semper in quibuslibet adiunctis agat, attamen ut necessario in actum prodeat, quando condiciones ad agendum requisitae omnes adsunt. Iam vero una ex parte intellectus potentia necessaria est, alia ex parte facultas iudicandi condiciones opportuniores postulare nequit,

---

[1]) De fide disp. 10 s. 1 n. 3. 9. Cf. praeter alios *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit. II 4 n. 227 ss. — [2]) Hi certitudinem liberam in actu fidei eatenus adesse defendunt, quatenus fides non solum certa, sed super omnia certa esse debeat, haec autem proprietas fidei tantum ex directo voluntatis imperio proveniat.

quam ut obiectum ei perfecta claritate manifestetur, id quod experientia teste saepe accidit.

Demonst. 2. p. Certitudo libera admittenda est, si 1^0 in se *non repugnat*, 2^0 revera teste experientia *exsistit*. Atqui utrumque est. Ergo.

Demonst. min. 1. p. Imprimis non repugnat ex parte 88
intellectus, aliquam veritatem ita se manifestare, ut intellectus per apprehensionem comparativam perspiciat quidem oppositum exclusum esse, sed non tanta cum claritate, ut actus iudicii cum necessitate sequatur (dummodo iudicium et perspicientia nexus duo actus realiter distincti sint, quam distinctionem saltem possibilem esse concedi debet).

Neque ex parte *voluntatis* repugnat, in tali casu assensum directe imperari, dummodo assensus ponendus aliqua ratione bonus appareat. Etenim voluntas etiam opinionem mere probabilem directe imperare potest, proinde multo magis assensum in tale obiectum imperare poterit, quod iam necessario verum esse perspicitur.

Demonst. min. 2. p. Experientia propria et aliorum testatur nos imprimis in credendis veritatibus revelatis, etiam postquam eas certo credibiles esse perspeximus, in ipso assensu exhibendo liberos esse. Eadem experientia testatur permultas alias veritates tam scientificas quam vulgares ita se nobis manifestare, ut oppositum quidem exclusum esse videamus, tamen assensus nobis non extorqueatur. Id fieri solet, si veritates sunt supersensibiles claritate aspectabili carentes, si veritas apparentibus rationibus oppositis obnubilatur, si longa tantum demonstratione patefit, vel si demonstratio non iam amplius menti praesens obversatur, sed tantum memoria retinetur de re certo constare; vel aliis modis.

In certitudine igitur necessaria solum motivum obiec- 89
tivum est causa determinans assensus. In certitudine autem libera motivum et voluntas determinant, sed diverso modo, voluntas ut causa subiectiva psychologica determinat ex-

sistentiam assensus, motivum ut causa obiectiva eius certitudinem determinat.

S. Thomas duplicem certitudinem ita satis clare describit: Intellectus „determinatur ad hoc, quod totaliter adhaereat uni parti; sed hoc est quandoque ab intellegibili, quandoque a voluntate. Ab intellegibili quidem quandoque mediate, quandoque immediate. Quandoque vero . . determinatur per voluntatem, quae elegit assentire uni parti determinate et praecise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire: et ista est dispositio credentis.“ [1])

*90 ***Iudicium et perspicientia.**[2]) Itaque saltem in certitudine libera perspicientia necessitatis obiectivae et iudicium *realiter distincta* sunt.[3]) Nam a) in tali certitudine certe adest apprehensio comparativa perspiciens necessariam obiecti veritatem, nihilominus assensus potest non sequi. Quod maxime in assensu fidei cernitur: si enim assensus denegatur, committitur peccatum, quod non committeretur, si non iam adesset perspicientia credibilitatis veritatis revelatae. b) Praeterea si perspicientia iam ipsum iudicium esset, perspicientia voluntate imperaretur, quod fieri nequit; perspicientia enim non est in potestate voluntatis, quippe quae nequit ad arbitrium intellectui imperare, ut percipiat subiectum et praedicatum identica vel diversa esse.

(Etiam in certitudine necessaria perspicientia a iudicio realiter distincta est. Sed facilius realiter identica esse potest

[1]) De verit. q. 14 a. 1 c. — [2]) Cf. Psychol.[5] n. 308. — [3]) Hanc distinctionem nonnulli negant, ut *Suarez, Schiffini, Mercier*. De veteribus testatur *Ripalda*: „Non solum extrema [subiectum et praedicatum], sed etiam unio ipsorum extremorum ante iudicium apprehenditur, ut fere omnibus commune est.“ De ente supernat. l 3 disp. 62 s. 1 n. 9. Consentit *S. Thomas:* „Respectu obiecti duo actus rationis attenduntur: primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat, et hoc non est in potestate nostra . . Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum his, quae apprehendit, assentit.“ 1, 2 q. 17 a. 6.

cum duplici apprehensione illa, qua subiectum et praedicatum apprehenduntur. Nam in rebus valde evidentibus intellectus apprehendendo subiectum et praedicatum statim nexum perspicere potest, ut haec apprehensio simul aequivalenter perspicientia nexus sit. Sed in certitudine libera perspicientia etiam a duplici illa apprehensione realiter distincta esse videtur, certe autem a iudicio distincta est.)

Neque haec distinctio ex eo impugnari potest, quod perspicientia et iudicium nullo modo inter se differe videantur; nam utroque actu eundem nexum obiectivum inter subiectum et praedicatum exhiberi. Eundem quidem nexum actus uterque exhibet, sed diverso modo, iudicium absolute et maiore cum activitate, quasi decernendo, perspicientia autem tantum percipiendo et quasi audiendo nexum his rationibus fulciri. „Per apprehensiones quasi audimus obiecta, per iudicium vero sententiam proferimus, subscribimus vel dissentimus obiecto per apprehensionem proposito.“[1])

Perfecta et imperfecta claritas obiecti. Itaque certitudo 91
libera *formaliter* in eo consistit, quod iudicium certum voluntate (libera) directe imperatum est.

Alia quaestio est, quando accidat, ut intellectus ad assensum certum non ipsa obiecti veritate manifestata cogatur. Experientia docet id contingere, quando obiectum imperfecta claritate se manifestet. Itaque duplici certitudini assensus *duplex certitudo obiectiva* respondet: necessariae respondet certitudo obiectiva cum perfecta claritate, liberae autem certitudo obiectiva cum claritate imperfecta. Certitudo obiectiva cum perfecta claritate *evidentia perfecta*, certitudo obiectiva cum imperfecta claritate evidentia *imperfecta* vocari potest.[2])

---

[1]) *Lugo*, De fide disp. 11 s. 3 n. 39. Cf. Zeitschrift f. kath. Theol. XIV (1890) 64 ss. — [2]) Alii evidentiam angustius accipientes solum illam certitudinem obiectivam vocant evidentem, ubi perfecta claritas habetur et iudicium cum necessitate sequitur. Cf. n. 114.

Si ulterius interrogatur, in quonam haec *imperfecta claritas consistat,* haec respondenda sunt. Claritas plerumque propterea imperfecta est, quia simul rationes oppositum suadentes menti apparent et, quamquam inanes perspiciuntur, tamen veritatis claritatem obscurant.[1]) Attamen fortasse necessarium non est semper tales apprehensiones obversari. Minor gradus claritatis simpliciter in eo consistere potest, quod obiectum minore luce menti splendet, non tanta, ut eam ex se ad assensum trahat. Etiam in perceptione sensitiva minor rerum claritas non semper ex eo derivatur, quod nebula adest, sed saepe tantum ex hoc, quod res sensui minore luce splendent sive propter distantiam sive propter oculi infirmitatem sive ob aliam rationem.

Causa remotior autem huius minoris claritatis intellectualis varia esse potest, vel indoles obiecti, quod menti humanae improportionatum est (mysteria fidei), vel deficiens acumen facultatis cognoscentis vel haec, quod mens obiectum non satis considerat. Potest etiam respectu eiusdem obiecti in variis hominibus, immo in eodem variis temporibus modo perfecta modo imperfecta claritas adesse.

92 Sedulo igitur cavendum est, ne certitudo et perfecta evidentia confundantur eaque sola certa esse dicantur, quae menti cum perfecta claritate innotescant, immo forte ea tantum, quae sensuum intuitione percipiantur. Hic est error multorum, qui fere solum per experientiam sensuum certitudinem afferri contendunt, in rebus autem metaphysicis et religiosis ob cognitionis quandam obscuritatem eam adesse negant. Sicut in cubiculo variae res varia cum claritate cernuntur, maiore res propinquae et radiis solis illustratae, minore remotae et non illustratae, omnes tamen cum vera certitudine percipiuntur, ita etiam tum obiecta scientiarum naturalium tum obiecta philosophiae et theologiae, licet varia claritate apprehendantur, tamen cum vera certitudine cognosci possunt.

---

[1]) Quare certitudo libera saepe etiam illa dicitur, in qua formido imprudens adest vel adesse potest.

Obiectiones. 1. Certitudo libera est actus intellectus. Atqui 93
actus intellectus non potest esse liber, quia intellectus libertatem non habet. — *Resp.* C. mai. D. min. non est liber libertate interna C. non externa, per denominationem a libero voluntatis imperio N.

2. Talis assensus tantum esset firmus firmitate irrationabili, scilicet ratione voluntatis, ergo non certus. — *Resp.* N. vel D. si necessitas obiecti manifesta non esset C. aliter N.

3. Sic voluntas ad arbitrium facere posset, ut adsit certitudo. — *Resp.* D. i. e. quando iam adest perspicientia, a libertate pendet ipse assensus C. i. e. voluntas facere potest ad arbitrium, ut adsit perspicientia N.

4. Ubi evidentia est, adsunt rationes convincentes. Atqui ubi adsunt rationes convincentes, ibi assensus necessarius est. Ergo ubi evidentia adest, assensus necessarius est. — *Resp.* D. mai. i. e. rationes rei necessitatem logice demonstrantes C. i. e. menti necessitatem physicam inferentes N.

*Th 16. Sola certitudo metaphysica est certitudo absoluta (1. p.); tamen etiam certitudo physica et moralis sunt vera certitudo (2. p.).

Declar. Iam Aristoteles monet et per se manifestum 94*
est non in omnibus rebus eandem evidentiam et certitudinem postulari posse, sed eam tantum, quam indoles obiecti permittit. Cum igitur obiectum certitudinis generatim sit necessitas obiectiva, obiecti autem necessitas diversa esse queat, in philosophia neoscholastica recepta est distinctio triplicis certitudinis, metaphysicae, physicae, moralis, prout necessitas obiecti, in quam assensus fertur, metaphysica, physica, moralis est.

Necessitas est *metaphysica* sive essentialis, si in essentiis rerum fundatur, quae exceptionem absolute non admittunt; ita necessarium est totum maius esse parte. *Physica* necessitas adest, si quid secundum leges naturae necessarium est, ut tantum per miraculum exceptio possibilis sit; sic necessarium est mortuum manere mortuum. *Moralis* necessitas adest, si quid tam difficile est sive tantopere constanti modo agendi repugnat, ut virtute creata absolute quidem fieri possit absque miraculo, tamen reapse numquam fiat, v. g. ut omnia peccata venialia diu vitentur, vel ut ordo implicatus casu fiat.

Quod certitudinem physicam et moralem attinet, animadvertendum est physice vel moraliter certum tantummodo illum assensum dici, qui in adiunctis, in quibus nullum signum exceptionis apparet, absolute et *categorice* affirmat eventum *particularem* futurum esse, e. g. ‚hoc lignum flammis admotum cumburetur', ‚hic vir honestissimus sanaeque mentis venenum non propinabit'. Dicitur „ubi nullum signum exceptionis apparet". Nihilominus absolute possibile est, ut praeter exspectationem exceptio fiat. Si in certis adiunctis manifestum esset, talem exceptionem cum sapientia sive veracitate Dei pugnare, certitudo physica in metaphysicam transiret. Etiam talis assensus: ‚lignum comburetur, *nisi* fiat miraculum', ‚hic venenum non propinabit, *nisi* exceptio plane extraordinaria fiat', metaphysice certus esset. Etiam iudicium generalem constantiam legis naturae affirmans, v. g. ‚ligna flammis admota comburuntur', metaphysice certum est, quia sapientiae divinae repugnat, ut, postquam legem condidit, eius constantiam generatim auferat tot exceptiones faciendo, ut lex non iam generatim constans dici queat.

Certitudo *absoluta* in illo assensu est, qui absolute necessario verus est (‚duo et duo sunt quattuor'). Certitudo autem *hypothetica* in illo assensu est, qui tantum verus est sub verificanda condicione, quod non fiat exceptio a lege physica vel morali, quae nimirum exceptio absolute possibilis est; e. g. ‚hic mortuus non resurget', ‚hic homo honestissimus in tali re gravi sine ulla necessitate non mentietur'.

*95 Certitudini physicae et morali proprium est, ut possibilitas oppositi non absolute excludatur. Propterea aliqui, e. g. *Palmieri* admittunt quidem divisionem triplicis certitudinis, denegant autem physicae et morali dignitatem proprie dictae certitudinis; tantum metaphysicam esse veram, alias autem esse solum certitudines latius dictas sive maximas probabilitates.

Si quis nomen ac notionem certitudinis ita restringere voluerit, ut tantum absolutam vocare velit certitudinem,

non multis impugnari poterit; erit potissimum lis de verbo. Sed a communi hominum conceptione discedere nimisque theoretice definitiones construere videtur. Propterea cum communiore sententia etiam physicam et moralem veram certitudinem habendam esse putamus. Consentire videtur *Angelicus* talia scribens: „Futura, quae ex necessitate ex causis suis proveniunt, per certam scientiam cognoscuntur, ut solem oriri cras."[1]) „Si [futura] in suis causis sint, ut ex quibus ex necessitate proveniunt, cognoscuntur per certitudinem scientiae, sicut astrologus praecognoscit eclipsim futuram."[2]) Etiam *S. Augustinus* insinuat certitudinem moralem genuinam certitudinem et scientiam esse: „Absit, ut scire nos negemus, quae testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse oceanum, nesciremus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendet."[3])

Demonst. 1. p. In certitudine metaphysica aliquid asse- 96*
ritur, quod absolute necessario verum est; talis autem certitudo dicitur absoluta. E contrario in certitudine physica et morali aliquid affirmatur, cuius veritas a condicione pendet, quod non fiat exceptio, de qua tamen condicione verificanda vel verificata non absolute constat; talis autem certitudo vocatur hypothetica. Ergo certitudo metaphysica absoluta est, physica autem et moralis tantum hypothetica est.

Demonst. 2. p. Certitudo est assensus firmus in veritatem 97*
cum exclusione formidinis prudentis errandi. Atqui tum ea, quae physica, tum alia, quae moralis certitudo dicitur, talis assensus est. Ergo etiam certitudo physica et moralis sunt vera certitudo. Revera

a) in utraque adest assensus *firmus,* quia perspicitur oppositum impossibile esse, non quidem impossibilitate absoluta, sed physica vel morali, nihilominus vera impossibilitate, quia oppositum contrarium est legibus physicis et

---

[1]) 1 q. 57 a. 3. Cf. De verit. q. 8 a. 12. — [2]) 1 q. 86 a. 4. — [3]) De Trin. l. 15 c. 12. 13.

moralibus. Ab omnibus autem impossibile dicitur, quod e. g. legibus naturae adversatur.

b) Adest assensus in *veritatem*. Ille enim non diceretur assensus certus, sed erroneus, in quo forte exceptionem contigisse postea manifestum fieret.

c) Adest exclusio *formidinis prudentis errandi*. Potest quidem mens apprehendere errorem absolute possibilem esse, quia possibilitas exceptionis revera non absolute exclusa est. Sed haec apprehensio sive formido ab omnibus inanis et imprudens habetur, quia absoluta possibilitas non est sufficiens motivum prudentis formidinis, cum timoris obiectum non sit malum (error) quomodocumque possibile, sed malum imminens sive mali periculum; absoluta autem possibilitas non est periculum.

*98 **Certitudo moralis late dicta et respectiva.** A certitudine morali supra descripta alia certitudo moralis late dicta distinguenda est. Haec non est stricta certitudo, sed intellegitur permagna vel maxima probabilitas, quae ad prudenter agendum in vita humana sufficit et plerumque sufficere debet. Ita v. g. moraliter certum esse admittitur in aliquo solito itinere non esse eventuram calamitatem.

Haec certitudo moralis ferme congruit cum „certitudine probabili", quam *S. Thomas* appellat, „quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat".[1])

Etiam certitudo absoluta nonnunquam alio sensu accipitur. Intellegitur assensus tali motivo innixus, quod pro quolibet intellectu formidinem prudentem expellere valet. Certitudo absoluta ita sumpta opponitur *certitudini respectivae,* quae motivo innititur, quod quidem pro aliquo intellectu (minus exculto) formidinem excludit, sed non absolute et pro omni intellectu, etiam exculto, qui insufficientiam motivi perspicere potest. Tale motivum est auctoritas parentum respectu pueri, qui aliquid pro certo habet,

[1]) 2, 2 q. 70 a. 2.

quia parentes id dixerunt. Certitudo igitur respectiva non est stricta certitudo.

In certitudine gradus adesse possunt. Qui certitudinem meta- 99*
physicam, physicam et moralem defendunt, insuper asserere solent hanc triplicem certitudinem etiam *essentialiter differre*. Merito id dicitur. Certitudo enim per necessitatem obiecti determinatur eique proportionata est. Quare si necessitas obiecti essentialiter diversa est, ut in re proposita, etiam certitudo assensus essentialiter differt.

Obiectiones, quae contra thesim proferri possunt, ipsa declaratione et demonstratione solutae sunt.

Th. 17. Praeter certitudinem scientificam etiam certitudo naturalis legitima certitudo esse potest (1. p.) eiusque reiectio vehementer improbanda est (2. p.). Proinde non omnis certitudo ab inquisitione scientifica pendet, licet per eam multum perficiatur (3. p.).

Declar. 1. *Certitudo naturalis* illa dicitur, in qua ha- 100
betur confusa tantum, non distincta et reflexa conscientia rationum, quibus innititur. Eam intellectus sponte naturae praebet. *Certitudo scientifica* illa est, in qua adest distincta rationum cognitio, ut interroganti explicari possint. E. g. homines vulgares cum firmitate tenent, certas regiones, aedificia, imagines pulchra esse, cur autem pulchra sint et quid sit pulchritudo, dicere nequeunt; scientifice autem exculti horum rationem reddere possunt. Omnibus vel plerisque persuasum est, mundum, quem vident, non esse phaenomenon mere apparens, ordinem mundi postulare auctorem, se esse inviolabili lege conscientiae obligatos ad malum vitandum, attamen interrogati haec demonstrare vel contra impugnantes defendere nequeunt; alii etiam horum rationes explicare possunt. Illi certitudinem naturalem, hi scientificam habent.

Naturalis certitudo communis est omnibus hominibus et locum habet maxime in iis, quae facilius cognoscuntur. Certitudo vero scientifica iis propria est, qui accuratae reflexioni operam dant vel exculti sunt. Porro certitudo naturalis etiam de rebus fidei habetur. Non enim opponitur supernaturali, sed scientificae.

Certitudinem naturalem defendentes non asserimus, eam semper, ubi homines eam habere videntur vel iactant, veram esse certitudinem, sed ex se genuinam esse posse et saepissime revera esse, praesertim in illis rebus, quae instar fundamenti vitae humanae sint.

101 2. Permultum interest explicite ostendere, etiam hanc naturalem certitudinem, qua plerique in omnibus et omnes in plerisque rebus ducuntur, veram certitudinem esse, quamquam id implicite iam initio criticae ostendimus, demonstrantes omnibus hominibus natura duce de variis veritatibus tam evidenter constare, ut dubitare nequeant.

Nunc non raro, contempta naturali hominis cognitione, sola inquisitio scientifica putatur legitimam afferre certitudinem atque unica ferme hominis salus celebratur. Propterea, qui scientiam vel saltem „eruditionem" non habent, pro hominibus verae persuasionis incapacibus habentur, qui caeca tantum auctoritate aliorumque opinionibus ducantur. Hinc etiam scientia ius sibi vindicat, ut omnia, etiam veritates fidei atque hominum firmissima et universalia iudicia in dubium vocare et impugnare possit.

Scientia, quae in hoc capite a certitudine naturali distinguitur, in rebus naturalibus philosophia praesertim est, quae veritates morales et religiosas investigat (in veritatibus autem fidei est theologia scientifica).

Non raro talia audiuntur: „Veritas est veritas scientifica inquisitione critica comparata: ideirco etiam religio hominis moderni in veritate critica fundari debet . . Non est auctoritas praeter scientiam."[1]) Ad errorem e mundo eliminandum „unum tantum est medium, labor scientificus. Solum scientia et veritas scientifica errorem auferre possunt."[2]) „Sine methodico labore scientifico homo veritatem possidere non potest."[3])

---

[1]) *Masaryk*, V boji o náboženství (In certamine pro religione) 13. — [2]) *Th. Lipps:* Den Irrtum aus der Welt zu schaffen, „dazu gibt es nun einmal nur eine Weise, nämlich die wissenschaftliche Arbeit. Nur die Wissenschaft und die wissenschaftliche Arbeit können den Irrtum beseitigen." Allgem. Zeitung 4/7 1908. [3]) *H. Schell*. „Ohne planmäßige wissenschaftliche Arbeit gibt es für den Menschen keinen Wahrheitsbesitz." Christus (1900) 64.

Demonst. 1. p. Certitudo est assensus firmus in veritatem 102
cum exclusione formidinis errandi seu est assensus inde causatus, quod intellectus clare cognoscit oppositum exclusum esse. *Atqui* talis assensus saepe adest sive adesse potest sine distincta seu reflexa cognitione rationum. Ergo haec certitudo naturalis saepe certitudo legitima est sive esse potest.

Demonst. min. 1) *Experientia* constat, omnes, qui expedito usu rationis fruuntur, licet studiis operam non dederint, multas veritates firmiter tenere, e. g. prima principia, realitatem mundi externi, valorem obiectivum cognitionis, veritates fidei christianae. Hanc vero firmitatem non tantum subiectivam et certitudinem apparentem esse, sed eo causari, quod intellectus oppositum exclusum esse cognoscat, ex his elucet: a) Omnes saepe asseverant, se videre oppositum impossibile esse, et reapse saepe post aliquam reflexionem rationes sufficientes bene assignare possunt. — b) Nos ipsi quotidie, si in talem certitudinem nostram inquirimus, quam v. g. de mendacii inhonestate, de obligatione factae promissionis, de necessitate subiectionis habemus, motiva plane firma detegimus, quibus vere cognitis intellectus ad assensum permotus fuerit. — c) Persuasio universalis hominum, illa saltem, quae fundamenta vitae humanae spectat, constanter viam veritatis tenet, quamquam philosophia saepe in iis longissime a vero aberrat; pariter homines constanter fundamentales notiones veri, boni, honesti, officii, iuris, pulchri recte adhibent, quamquam in scientia multae dubitationes ac controversiae habentur. Quod iterum ostendit haec proficisci ex vere, licet confuse tantum perspecta veritate.

2) *A priori* patet, talem legitimam certitudinem possibilem esse, proinde etiam, saltem saepe, revera exsistere. Sane a) *veritates* saepe tales sunt, ut facile cum evidentia cognosci possint. b) Ad *certitudinem* acquirendam satis est, ut percipiatur aliquod motivum sufficiens, quo necessitas veritatis plane manifesta fiat et quo sic implicite iam, quae-

cumque in contrarium obstant, refutata sint, licet non adsit distincta motivi seu rationum cognitio neque obiectiones contra veritatem directe in se ipsis solvi possint. E. g. ad certitudinem de exsistentia numinis acquirendam satis est vulgari modo perspicere, ordinem mundi superiorem intellegentiam exigere, sicut opus artis terrestre auctorem intellegentem postulet, licet distincta argumentatio proponi et obiectiones prolatae solvi non possint; eas propterea vanas esse scitur, quia de veritate ipsa constat.

103 3) Idem testimoniis fidei confirmari potest, quae docent homines omnes certam notitiam Dei habere posse ac debere. a) *S. Scriptura* docet, iis etiam, qui revelationem non noverunt, cognitionem exsistentiae veri Dei difficilem non esse, ut, si eam non habeant, stulti, infelices, ira Dei digni etc. vocentur. Hanc vero certitudinem intellegi naturalem, apertum est. Cf. Rom. 1, 19 ss. et 2, 14; Sap. 13; Ps. 13, 18. — b) *SS. Patres* saepe inculcant certitudinem de exsistentia Dei dotem naturae homini innatam esse, sine instructione haberi etc. Hinc Cyprianus „Atque haec est summa delicti", inquit „nolle agnoscere, quem ignorare non possis?"[1])

Unde manifestum est certitudinem naturalem a certitudine scientifica respectu eiusdem obiecti non essentialiter, sed *gradu* tantum differre, quia utraque essentialiter vera certitudo est, sed una tantum spectato gradu firmitatis et distincta motivorum cognitione ab alia superatur.

104 **Demonst. 2. p.** Vehementer improbandum est, destruere necessarium fundamentum, in quo vita moralis et religiosa plurimorum nititur. *Atqui* certitudo naturalis tale fundamentum est idque destruitur, si ista certitudo reicitur. Ergo reiectio certitudinis naturalis vehementer improbanda est.

Demonst. min. Plerique homines non alia nisi naturali certitudine certi esse possunt, Deum exsistere, se esse fini altiori vitae futurae destinatos, quasdam actiones bonas et praescriptas, alias malas et vetitas esse, quasdam veritates revelatione divina constare etc. Itaque certitudo naturalis est fundamentum, in quo vita moralis et religiosa pluri-

[1]) De idol. vanitate n. 9 MSL. IV 577. Cf. testimonia SS. Patrum apud *Kleutgen*, Theologie d. Vorzeit II² n. 26 ss.

morum innititur. Hoc autem destruitur, si hac certitudine securi esse nequeunt, sed cognitiones suas ad argumenta scientifica redigere debent; paucissimi enim tantum post longos conatus, plerique numquam de his veritatibus securi esse possent. — Atque ipse intellectus, nempe conscientia moralis, contra reclamat, non permittens, ut hanc certitudinem ab inveniendis distinctis argumentis dependentem faciamus; clare enim evidentiam ostendit, quam de iis habet.[1])

Demonst. 3. p. A) *Non omnis certitudo ab inquisitione* 105
scientifica pendet. Nam ostensum est certitudinem naturalem posse esse legitimam certitudinem.

Unde videmus homines firmam iam persuasionem de multis rebus habuisse et opere exercuisse, antequam doctrinae de illis statutae sunt, sapientes leges decrevisse ante scientiam iuris, homines de virtutibus et sceleribus recte iudicasse rectosquae habuisse mores, antequam philosophica de iis inquisitio instituta est; pariter „non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum esse".[2]) Item, licet philosophi semper in honore fuerint, tamen minime iis ab hominibus, antiquitus saltem, concessum est, ut veritates, de quibus naturali certitudine constabat, titulo philosophiae impune vastarent.

B) *Scientia perficit certitudinem naturalem* et quidem duplici modo.

a) *Extensive* perficit, quatenus novas veritates invenit, quas cognitio naturalis sine inquisitione scientifica vel omnino non vel difficile tantum detegit.

b) *Intensive* perficit, quatenus veritates vulgo cognitas magis explicite proponit earumque rationes distincte explicat. Hac ratione scientia adeoqne patrimonium mentis humanae et fundamenta vitae contra aggressores defendit.

---

[1]) Cf. de hac re *Kleutgen*, Philosophie der Vorzeit[2] n. 225 ss. — [2]) *Cicero*, De oratore I 32.

Th. 18. Neque valori certitudinis naturalis obstat, quod etiam circa veritates sublimiores versatur (1. p.) vel quod homines rationem eius reddere saepe nequeunt (2. p.).

106 **Demonst. 1. p.** Veritates, de quibus certitudo naturalis habetur, saepe tales sunt, ut mirum videri possit, quomodo homines vulgares eas certo cognoscere valeant, cum difficilibus argumentis demonstrentur, v. g. exsistentia Dei, animae immortalitas.

Id tamen valori certitudinis naturalis non obstat, si firmiter tenendum est, 1) mentem una ex parte in hac directa et spontanea rerum cognitione magnam perspicaciam exercere, 2) altera autem ex parte mentem speciali infirmitate laborare in rationibus rerum, quas sic perspexit, distincte exponendis. Si haec duo asserenda sunt, iam intellegitur in cognitione naturali sufficientem efficaciam inesse ad veritates sublimes attingendas neque tamen propterea eandem efficaciam in cognitione reflexa inveniri debere. *Atqui* utrumque est. Ergo valori certitudinis naturalis non obstat, quod etiam circa veritates sublimiores versatur.

Demonst. min. 1) Mentem in hac naturali cognitione magnam cognoscendi virtutem exercere clarissima facta demonstrant. Nam mens imprimis omnes conceptus analogos rerum spiritualium, moralium, religiosarum, etiam rerum admodum sublimium per respectum ad res materiales sibi efformat; et id quidem, postquam rationis usus adest, brevi tempore. Immo, qui caeci nati sunt, hos conceptus analogos per relationem ad paucissimos alios conceptus, potissimum ex tactu acquisitos, efformant; immo fuerunt et sunt, qui visu et auditu privati omnes ideas altiores et notabilem vel eximiam eruditionem acquisiverint. Porro omnes ipsique infantes celeriter et recte percipiunt varias, quae in linguis inveniuntur, analogias, apprehendunt subtiles saepe tropos, figuras, orationis discrimina, quid diversi casus, modi et genera exprimant, quaenam sint subiecti et praedicati et copulae functiones; recte enim haec omnia adhibent et defectus animadvertunt; nihilominus gramma-

ticis et logicis difficillimum est haec reflexe et distincte invenire et definire. Insuper homines de regulis urbanitatis recte iudicant, licet earum significationem saepe difficile sit assignare. Recte actionum honestatem, pulchritudinem operum artis, virtutum, caeremoniarum apprehendunt, conceptus abstractos boni, pulchri, officii, iuris aliosque recte adhibent, quos definire saepe admodum arduum est.

2) Mens humana peculiarem experitur difficultatem in 107
distincta reflexione instituenda, quare non mirum est, quod plurima, quae directe cognita sunt, reflexioni non patent. Etenim α) cognitiones celeriter oriuntur et transeunt, multae simul adsunt, saepissime etiam distincta claritate carent, ut igitur mens difficile eas diutius intueri, clare discernere et circumscribere possit. β) Ipsa experientia docet, plurima, quae directe vere percepta sunt, reflexionem effugere, quod ostendunt ea, quae sub 1) dicta sunt.

Propter hanc difficultatem, quam mens patitur, quando, quae raptim concepit, ad scientificas rationes redigenda sunt, continuo efficitur, ut multi *errores* in scientia, praesertim in philosophia inveniantur, qui sanae menti absurdi apparent, uti idealismus, determinismus, pantheismus; et facile accidit, ut in iis, qui scientiis dediti sunt, quaedam *ad dubitandum inclinatio* sceptica oriatur, quae a directa cognitione aliena est.

Haec directa seu naturalis cognitio homines in percipiendis veritatibus altioribus vitaeque humanae necessariis *tuto manuducit* et quidem saepe tutius quam inquisitiones scientificae, quae facile a veritatis tramite aberrant.

Demonst. 2. p. Homines vulgares de certa persuasione 108
veritatum, quam prae se ferunt, interrogati, rationem earum reddere plerumque non possunt; neque difficile saepe propositis obiectionibus ad dubitandum permoventur. Sed id non probat eos vera certitudine caruisse. Nam iste modus agendi ex alia ratione declarari potest. Nempe tales homines rationes sufficientes pro re affirmata vere quidem, attamen

non distincte sive secundum definitos conceptus et ratiocinionum membra perspiciunt, ideoque eas reflexa cognitione difficile inveniunt; supra enim ostendimus talem reflexionem generatim menti difficilem esse. Accidit iis, quod fasciculum florum raptim aspicientibus contingit: viderunt omnes flores, tamen postea interrogati eos enumerare non possunt. Idcirco, quia simul difficultates obiectas in se ipsis solvere plerumque nequeunt, opinio iis oritur se non habere rationes. Ergo valori certitudinis naturalis non obstat, quod homines rationem eius reddere saepe nequeunt.

109 **Corollaria practica.** 1. Ergo hominibus propterea, quod maiore *mentis cultura carent,* non facile notitiae rerum sublimiorum et correspondentes affectus voluntatis, ut amor Dei perfectus, denegandi sunt. Non licet igitur affirmare pueros vel homines vulgares veram certitudinem de motivis et fundamentis fidei christianae habere non posse. Neque cuiquam ex eo, quod non facile de his motivis fidei rationem reddere et difficultates solvere potest, inferre licet se veram certitudinem non habuisse, proinde posse se incipere de veritatibus fidei usque adhuc firma persuasione creditis serio dubitare. Conscientia propria intus reclamans, i. e. intellectus, hac reclamatione testificatur rem esse certam.

Neque etiam nimis contemptim de cognitione Dei iudicandum est, quam gentiles in mente gerunt seu gerebant.

2. Magni faciendus est *sensus communis* hominum idemque in rebus necessariis ad vitam humanam pertinentibus ut testis veritatis sequendus est. Cui saepe philosophi arroganter contradicunt, ea negantes, quae omnibus temporibus genus humanum firma persuasione professum est.

3. Non propterea iam, quod aliquid prompte demonstrari nequit, attentione indignum censendum est.

Magna vis cognitionis directae apparet in *typo intuitivo,* qui vocari potest. Homines huius typi magna cum perspicacia quaestiones et problemata, etiam ex se valde implexa, absque distincta rei analysi intuitu quodam perspi-

ciunt et de iis iudicia proferunt, quae initio forte dubia apparent, postea autem vera inveniuntur. Haec est magna dos ingenii. Sed si cum nimia confidentia sociatur, etiam largus fons magnorum errorum fieri potest.

4. Propter mentis nostrae in inveniendis et perspiciendis rationibus scientificis imbecillitatem etiam philosophus ab investigandis sive ingerendis sine fine subtilibus rationibus abstinere debet, cum hac ratione non raro in mentem, erepta luce, quam habuit, obscuritas inducatur.

5. Cum in certitudine naturali distincta perspicientia rationum praesto non sit ideoque haud difficile mens obnubilari et turbari possit, prudentia et conscientia vetant eam, maxime quod religionem attinet, periculis exponere, quae ex incauta librorum lectione vel incauto commercio hominum proveniunt. Sapienter igitur Ecclesia libros periculosos prohibet, eorum lectionem permissioni suae subiciens. Et insipienter agunt, qui indiscriminatim homines monent, ut persuasionem suam in iuventute assumptam examini scientifico et „revisioni“ subiciant; quod examen, si ingenium nondum solida scientia instructum est, valde periculosum esse potest.

6. Certitudinem naturalem, quam explicavimus, philo- 110
sophia moderna parum intellegere atque saepe admodum vitiose interpretari solet. Etenim hanc directam et naturalem perceptionem, qua mens potissimum veritates sublimiores percipit cognitione non laboriosa, sed spontanea, sine distincta rationum conscientia et quasi immediate, obscure quidem, attamen cum firmitate assensus, saepe *„irrationalem“* vocat. Hac formula vel omnino negat illam cognitionem esse vere intellectualem eamque solum activitatem affectivam interpretatur (immanentismus), vel saltem negat eam discursivam esse (qualis revera est, quamquam tantum virtualiter discursiva) et affirmat eam esse immediatam intuitionem (intuitionismus).

Saepe etiam haec directa et naturalis perceptio intellectualis *„sentire“* vel *„sensus“* (Gefühl, sensation, feeling)

vocatur. Ita homines indecentiam alicuius facinoris vel necessitatem futurae retributionis vel operis pulchritudinem „sentire" dicuntur. Permitti quidem iste usus vocabuli potest, dummodo ne ad gravem errorem seducat, quo haec obscura, sed vera intellectus cognitio perperam cum meris affectionibus appetitivis confunditur.[1]) Eadem cognitio obscura saepe „fides" appellatur; quae tamen non est fides christiana, qua aliqua veritas propter auctoritatem Dei loquentis creditur. sed quaedam persuasio „moralis", ex solo animi affectu, non vero ex cognitione intellectuali proveniens.

Hinc saepe falsa illa opinio oritur religionem et fidem in sola affectione subiecti niti et „fidem" a ratione separandam esse, immo omnes persuasiones de rebus altioribus ex tali „fide" sive affectione et „sensu" provenire.

Art. 5. De criterio veritatis et motivo certitudinis

Cum in multis rebus veritatem certo cognoscamus, in aliis autem dubitemus et in multis etiam fallamur, criterium nos habere oportet, quo veritatem a falsitate infallibiliter discernamus. Aliter enim semper dubitandum erit, num veritatem possideamus. Ideo, quicumque scepticismo manus dare nolunt, aliquod veritatis criterium admittunt. Sed non raro tale statuitur, quo omnis vera certitudo et cognitionis valor perimitur, prout infra ostendetur. De hoc igitur criterio nunc iam sermo est.

§ 1. Criterium esse evidentiam obiectivam

111 **Criterium veritatis. Motivum certitudinis.** Itaque criterium veritatis illud iudicium intellegitur, quo infallibiliter veritatem a falsitate discernere possumus. Criterium veritatis simul est motivum certitudinis. Motivum enim certi-

[1]) Confer *Psychologiam*[5] n. 387 de variis significationibus vocis „sentimentum" sive „sensus"; confer praeterea infra, De irrationalismo.

tudinis est ratio, quae nos ad firmitatem assensus movet, ut assensus non tantum opinio, sed certitudo sit sine formidine errandi. Quod igitur infallibiliter veritatem ostendit seu criterium est, etiam ad certum de hac veritate iudicium nos movet, i. e. motivum certitudinis est.

Distingui solet a) criterium vel motivum *ultimum,* quod ulteriore, a quo vim suam repetat, non indiget, et *non ultimum,* quod ulteriore indiget.

b) Criterium *universale,* quod in omni certitudine adest, et *particulare,* quod tantum alicui ordini veritatis proprium est, velut auctoritas Dei revelantis in veritatibus fidei, fontes historici in veritatibus historicis, praeterea experientia, legitima deductio mathematica et alia.

Quaeritur maxime de criterio sive motivo ultimo et universali, quod semper et ultimo est ratio omnis certitudinis. Interroganti, cur de alicuius rei veritate certo constet, saepe varia criteria particularia et proxima assignari solent. Historiographus forte respondet: quia ex fontibus historicis hausi, mathematicus: quia ex formulis analyticis recte deduxi, theologus: quia per infallibilem Ecclesiae auctoritatem constat, puer: quia docet catechismus. Haec omnia sunt criteria propinquiora et particularibus generibus veritatis propria. Quaerimus itaque, quale criterium et motivum his et similibus criteriis commune et simul ultimum sit, ad quod illa propinquiora et particularia ultimo reduci debeant et a quo vim suam repetant. Id evidentiam obiectivam esse affirmabimus.

Evidentia obiectiva in hoc consistit, quod obiectum tanta 112
claritate menti se manifestat, ut oppositum cognoscatur exclusum esse; est igitur *necessitas obiecti menti manifesta,* quam supra certitudinem obiectivam appellavimus. Necessitas ad obiectum pertinet, manifestatio autem actibus mentis et quidem ultimo perspicientia efficitur, quae iudicium praecedit et nexum inter subiectum et praedicatum perspicit. Evidentia igitur obiectiva non semper adest; si quis tantum opinionem probabilem habet, evidentia caret.

Neque evidentia semper eadem est; manifestatio enim obiecti variis modis fieri potest. Sub hoc respectu distinguitur:

113 a) Evidentia obiectiva *immediata* et *mediata*, prout necessitas obiecti vel sine vel tantum cum demonstratione manifesta fit.

b) Evidentia *veritatis* (interna) et *credibilitatis* (externa). In evidentia veritatis veritas ex rationibus internis manifesta est, in evidentia credibilitatis autem tantum ex testimonio externo, propter quod creditur. Qui argumentatione philosophica animae spiritualitatem demonstrat vel observatione et calculo mathematico futurum cursum stellae ostendit, evidentiam veritatis habet; ei autem, qui propter revelationem divinam mysterium incarnationis credit, veritas ipsa incarnationis in se manifesta non est, sed directe tantum constat eam certo credibilem esse.

c) Evidentia *perfecta* et *imperfecta*. Evidentia perfecta habetur, si obiectum perfecta seu tanta claritate manifestatur, ut ne imprudens quidem formido possibilis sit et intellectus cum necessitate ad iudicium trahatur. Evidentia imperfecta habetur, si imperfecta claritas adest seu talis, qua impossibilitas oppositi manifesta quidem est, sed ita, ut simul imprudens formido possibilis sit et intellectus non ad iudicium trahatur, sed voluntatis imperio indigeat. Hic minor autem claritatis gradus vel ex obiecto oritur, quod menti humanae minus proportionatum est, vel ex defectu virtutis seu attentionis mentis (n. 91). Evidentia igitur perfecta in certitudine necessaria, imperfecta in libera habetur.

Evidentia obiectiva est proprietas obiecti. Interdum de *evidentia subiectiva* loquuntur. Quae intellegitur ipsa claritas cognitionis talis, ut oppositum exclusum perspiciatur. Sed quia evidentia, utpote visibilitatem et perspicuitatem significans, imprimis qualitas obiecti est, tantum per translationem de actu ipso praedicatur. Praeterea ad cavendum errorem haec evidentia subiectiva diligenter distinguenda

est ab evidentia mere subiectiva, evidentia videlicet putata, non vera.

Nomen evidentiae a multis auctoribus angustius sumitur, ut 114
tantum significet evidentiam perfectam, quae certitudinem necessariam determinat; evidentiam imperfectam, quam nos appellavimus, evidentiam non vocant. Hi auctores duplicem certitudinem obiectivam, quam pariter nobiscum distinguunt, aliis nominibus designant. E. g. unam appellant certitudinem evidentiae, alteram certitudinem inevidentiae. Ceterum haec differentia nomina tantum, non rem spectat. Sed illi auctores non iam possunt evidentiam criterium universale statuere.

Th. 19. Ultimum et universale criterium veritatis et motivum certitudinis est evidentia obiectiva.

Demonst. Ultimum et universale criterium veritatis et 115
motivum certitudinis est ratio ultima, qua semper veritatem a falsitate et quidem infallibiliter discernimus et ad certitudinem movemur. Atqui tale criterium et motivum est evidentia obiectiva. Ergo.

Demonst. min. a) Per evidentiam obiectivam *infallibiliter* veritas a falsitate discernitur, quia veritas menti ita manifesta sistitur, ut oppositum exclusum esse percipiatur.

b) *Semper,* quando veritas certo cognoscitur, ex evidentia obiectiva cognoscitur. Quandocumque enim certitudo adest, propterea adest, quia clare videmus obiectum ita se habere et aliter se habere non posse, i. e. quia evidentia obiectiva adest.

c) Per evidentiam obiectivam *ultimo* veritas a falsitate certo discernitur. Sane ultimum responsum, quod de veritate et certitudine interroganti reddi potest, hoc est: quia ita esse manifestum est. Si hominem catholicum interrogamus, cur de veritate alicuius mysterii ei constet, respondet: quia Ecclesia id credendum proponit; ulterius interrogatus, cur propositio Ecclesiae ei certitudinem afferat, respondebit, quia infallibilis est; denuo rogatus, cur propter Ecclesiae infallibilitatem ei de veritate certo constet, ultimum dabit responsum: quia sic manifestum mihi est rem ita se habere.

Ex quo exemplo simul elucet, evidentiam obiectivam non ita esse ultimum criterium, ut non simul propinquiora includat, e. g. infallibilitatem Ecclesiae. Si enim evidentia est mediata, includit in se totam demonstrationem cum omnibus rationibus, quibus necessitas obiecti manifesta fit.

Brevi. Evidentia obiectiva est criterium universale et ultimum, quia semper propterea et ultimo propterea de rei veritate certus sum, quod mihi manifestum est rem necessario ita et non aliter se habere.

116 **Momentum criterii statuendi.** Ex dictis haud difficile elucet criterium ultimum non propter hanc practicam utilitatem proponi, ut, quando dubium de veritate solvendum est, praesto sit medium et motivum, quo dubium removeri possit. Non multum enim in veritate quaerenda adiuvor, si audio oportere me perspectam habere obiecti necessitatem; neque hoc criterium viam ostendit, qua ad obiecti manifestationem pervenire possimus. Sed utilitas huius expositionis potius haec est, ut genuina natura certitudinis, veritatis, cognitionis denuo illustretur et per oppositionem ad falsa criteria in clariore luce ponatur.

Criterium enim statutum, a) quatenus dicitur evidentia *in genere* seu evidentia quaelibet, sive per cognitionem scientificam sive per naturalem comparata, sive revelatione sive sola ratione acquisita, sive evidentia de rebus sensibilibus sive evidentia de supersensibilibus, non coarctat certitudinem humanam ad unum rerum ordinem, ut criteria alia, veluti positivistica. — b) Quatenus est evidentia *obiectiva,* supponit veram sententiam de cognitione et veritate, nimirum mentem cognoscendo exprimere ordinem seu veritatem obiectivam a se independentem et hanc esse normam, cui se debeat conformare. Quia igitur obiectum cognitionem, non vero cognitio obiectum determinat, criterium ultimum debet esse obiectum (cognitione manifestum), non autem vel cogitationum inter se sive cum aliis hominibus concordia vel affectus, studium, indoles subiecti vel quodlibet aliud mere

subiectivum. — c) Quatenus *evidentia* obiectiva est, postulat, ut obiectum plane manifestum sit. Quo levitas intellectualis excluditur.

Obiectiones. 1. Si evidentia obiectiva criterium veritatis esset, 117
ubicumque esset veritas, adesset etiam evidentia. Atqui ita non est; e. g. in opinione vera adest veritas sine evidentia. — *Resp.* N. ant. vel D. ubicumque esset veritas certe cognita C. aliter N.

2. Multi dicunt se habere evidentiam, et errant. — *Resp.* D. dicunt vere N. falso C.

3. Sic novum criterium necessarium est, ut dignoscatur vera a falsa evidentia. — *Resp.* D. si vera evidentia non per se ipsam a falsa se discernit C. aliter N. Sicut aurum verum per se ipsum, dummodo adspiciatur, a falso se discernit, etiam evidentia vera a falsa se distinguit.

4. Si evidentia est criterium veritatis, unusquisque fit iudex infallibilis veritatis. — *Resp.* D. ita, ut iudicium pendeat a veritate manifesta C. ut veritas pendeat a iudicio, ut fere subiectivistae dicunt N.

5. ‚Evidentia est criterium veritatis' significat ‚quia mihi evidens est, ideo verum est'; quod dici nequit. — *Resp.* D. i. e. ideo verum esse mihi constat C. ideo verum *est* N.

*§ 2. De falsis criteriis

***Th. 20. Praeter evidentiam obiectivam varia alia statuuntur criteria, quibus genuina veritatis cognitio depravatur.**

Demonst. In scientia de cognitione quaestio, quale sit 118*
criterium veritatis, principalem locum sibi vindicat. Quare mirum non est, quod diversae doctrinae criteriologicae criteria sua proponunt. Quae de genuino criterio exposuimus, iam facile vitia falsorum manifestant; quae vitia propter centralem criterii momentum levia esse non possunt. Nunc potissimum haec criteria vel explicite statuuntur vel saltem implicite in variis doctrinis continentur:

1. *Subiectivismus idealisticus,* qui primo loco commemorandus est, criterium in aliquo mere subiectivo ponit, quod ab aliis aliter describitur (cf. n. 55):

a) Multi, secundum idealismum supponentes veritatem non esse conformitatem cognitionis cum re, criterium veritatis esse dicunt cognitionis congruentiam cum *legibus cogitandi* seu organisatione nostra intellectuali sive impossibilitatem (psychologicam) cogitandi contra has leges; vel, quod idem fere est, criterium dicunt convenientiam cognitionum inter se sive cum aliorum cognitionibus.

Resp. Cum homines obiecta et veritatem non producant, sed iis conformari debeant, cognitio non propterea vera et certa est, quia cum propria organisatione mentali vel cum aliis cognitionibus propriis sive aliorum concordat. Et si ultima ratio certitudinis tantum psychologica organisatio intellectus esset, motivum certitudinis tantum necessitas psychologica, non logica esset i. e. perspicientia veritatis; et fieri posset, ut entia aliter organisata res omnino aliter cognoscerent cum simili necessitate psychologica. Denique cognitiones inter se vel cum aliorum cognitionibus et opinionibus consonantes non necessario verae sunt, sed omnes simul falsae esse possunt; etiam horologia inter se concordantia simul a vero aberrare possunt.

*119 b) Criterium mere subiectivum etiam illi iique multi admittunt, qui criterium in sensu sive *motu emotionali* subiectivo reponunt, quem varie describunt.

Huc iam referendus est *Reid* († 1796), natione Scotus, qui, ut scepticismum Humii repelleret, docuit nos instinctu quodam a natura indito sine rationum perspicientia ad illa iudicia impelli, quae suprema principia cognitionis essent. Simili quadam ratione *F. H. Iacobi* († 1819) contra rationalistas contendit, non mentis perspicientiam, quippe quae ad atheismum ducat, sed animi affectionem ultimum certitudinis motivum esse idque praesertim in rebus altioribus.[1])

[1]) „Dieser Vernunftglaube bedarf nicht allein keinerlei Beweises, sondern schließt schlechterdings alle Beweise aus." „Durchaus ein Heide mit dem Verstande, mit dem Gemüt ein Christ."

Alii affirmant ultimum motivum certitudinis esse sensum sive sentimentum evidentiae, quod experiamur et quo sentiamus nos aliud affirmare non posse.[1])

In subiectivismo etiam magis haerent immanentismi sectatores, qui contendunt, ultimum motivum, quo ad certa iudicia de rebus metaphysicis permoveamur, esse motum quendam affectivum in obiecta illa asserenda, quod videlicet nobis sint congenialia sive indigentiis, tendentiis, affectionibus subiecti congruant.

Resp. (1) Talis sensus sive motus, si non formaliter 120*
ut manifestatio obiecti, sed mere subiectivus spectatur, non potest mihi certitudinem praebere me veritatem possidere; non enim necessarius nexus cum veritate in eo apparet. Id etiam magis affirmandum est, si ille motus dicitur sen-

---

[1]) Evidenzgefühl, Evidenzerlebnis. Cf. e. g. haec: „Ultimo tantummodo provocare possumus ad necessitatem subiectivam, quam experimur, ad internum evidentiae sensum, qui partem cogitationum nostrarum comitatur . . Fiducia in huius evidentiae legitimum ius et fidem est ultimum fundamentum omnis certitudinis." („Hier gibt es zuletzt keine andere Antwort als Berufung auf die subjektiv erfahrene Notwendigkeit, auf das innere Gefühl der Notwendigkeit der Evidenz, das einen Teil unseres Denkens begleitet . . Der Glaube an das Recht dieses Gefühls und seine Zuverlässigkeit ist der letzte Ankergrund aller Gewißheit.") *Sigwart*, Logik[2] I 15. „Signa veritatis ultimo in hoc consistunt, quod veritas in unoquoque homine sanae mentis quoddam sentimentum omnino peculiare et indelebile excitat . . sentimentum veritatis sive persuasionis." („Die Anzeichen der Wahrheit bestehen im letzten Grunde darin, in einem jeden geistig gesunden Menschen ein völlig eigenartiges Gefühl zu erregen. Dieses Gefühl von der Wahrheit oder das Überzeugungsgefühl . .") *R. Richter*, Der Skeptizismus in d. Philosophie I 153. „Qui doctrinam de cognitione proponit, tantum adhortari potest, ut certitudinem, quae nos impellit ad valorem transsubiectivum iudiciis tribuendum, cum fiducia experiamur." („Der Erkenntnistheoretiker kann nichts weiter tun, als daß er dazu auffordert, die Gewißheit, die uns zu transsubjektiv gültigen Annahmen treibt, mit Hingabe zu erleben.") *Volkelt*, Quellen der menschlichen Gewißheit (1906) 32. Idem alibi: „Necessitas logica pro me tantummodo sic adest, ut eam experiar." („Aber dieser logische Zwang ist für mein Bewußtsein doch nur so vorhanden, daß ich ihn erlebe.") Gewißheit und Wahrheit (1918) 221.

timentum mere emotionale ideoque motus non intellectualis. (2) Eiusmodi criterium omnino vagum, abusui obnoxium est et relativismum parit. Si ulterius criterium non admittitur, non iam diiudicari potest, cuius ‚sensus evidentiae' rectus et cuius fallax sit. (3) Etiam naturae rationali hominis repugnat, in qua interna persuasio esse nequit, nisi veritas obiecti perspiciatur.

*121 2. A subiectivismo haud multum distant, qui ad mentem Cartesii criterium hoc esse dicunt, quod de aliquo *ideam claram* habeamus.[1]) Hoc criterium saltem ambiguum est. Non propterea in aliqua re certitudinem habemus, quod cognitio nostra clara est, sed quod res clare manifestatur.

Huc etiam referendi sunt *phaenomenologi* recentes illi, qui sibi immediatam essentiarum intuitionem asserentes ex hac intuitione (magna ex parte subiectiva) omnes quaestiones se solvere posse contendunt.

3. *Pragmatismus* modernus criterium veritatis in eo situm esse contendit, quod sententia vel doctrina practicum emolumentum seu utilitatem afferat. Tale criterium non omni veritati competit et, quod abominabile est, veritatem in servitium utilitatis et cupiditatum humanarum redigit.

4. Positivistae *experientiam* unicum criterium veritatis esse praedicant, falso supponentes hominem non posse alia nisi experimentalia cum certitudine cognoscere.

5. Alii *scientificam inquisitionem* tamquam criterium postulant. Quae sententia falso supponit solam cognitionem scientificam praebere certitudinem, certitudinem autem naturalem admittendam non esse. Confer n. 100 ss.

6. Alii *principium contradictionis* unicum criterium esse volunt. Sed etiam hoc principium criterium veritatis suae postulat, quia iterum interrogari potest, cur de ipso certi simus. Praeterea numquam ex hoc principio diiudicare possumus, num determinata enuntiatio vera sit e. g. terram tantummodo unam lunam habere.

---

[1]) Cf. n. 22. 25.

7. *Traditionalistae*, quorum duces erant de Bonald († 1840), 122*
Bonnetty, Bautain, Ventura, nimiam rationis individualis fiduciam retundere cupientes, in hunc prolapsi sunt errorem, ut dicerent rationem humanam ex se vel nullam veritatem vel saltem non veritates altiores certo cognoscere posse, sed eas tantum ex *revelatione divina* haurire; protoparentes ideas et cognitiones harum veritatum a Deo per revelationem accepisse easque traditione orali posteris et istos iterum generationibus sequentibus usque ad nos transmisisse.

Lamennais († 1854) simili modo docet rationem individualem ad nullam certitudinem pervenire posse, sed sequendum esse sensum communem generis humani, quod veritatem ex revelatione primis parentibus communicata hauserit; auctoritatem generis humani supremam esse auctoritatem.

Falsitas harum doctrinarum, quae ceteroquin iam antiquatae dicendae sunt, aperta est. (1) Intellectus individualis ad veritatem, etiam supersensibilem, certo cognoscendam aptus est. (2) Ut revelatio et traditio legitimum certitudinis motivum sit, requiritur, ut ratio protoparentum et posterorum cognoscat Deum locutum eumque veracem esse, et constare debet posteros revelationem recte tradidisse. Si igitur ratio nihil veri cognoscere potest, neque fides adesse potest. (3) Revera posteris de prima revelatione divina per traditionem oralem multorum saeculorum, quae valde incerta est, sufficienter constare nequit. (4) Consensus generis humani, quem Lamennais statuit, multarum quidem veritatum, ut exsistentiae Dei et immortalitatis, certitudinem afferre et roborare potest. Sed absonum est dicere omnes veritates ex hoc consensu hauriri posse, velut certitudinem de propria aliorumque exsistentia.

Caput III

De experientia

Art. 1. Praenotationes

Fontes certitudinis. Veritate et certitudine recte ex- 123
plicatis et contra doctrinas scepticas defensis quaestio iam oritur, unde intellectus certas veritatis cognitiones haurire possit et de quibus rebus; explicandi sunt fontes certitudinis.

Fontes certitudinis dicuntur facultates actusque cognoscitivi, quibus certa iudicia comparare possumus.

Tres eiusmodi fontes distinguimus. 1° fons est *experientia* (Erfahrung, experience), qua per conscientiam et sensus facta interna et externa cognoscimus; hinc experientia interna et externa distinguitur. — 2° fons est *cogitatio mentis* (Denken, pensée, thought), qua mens ope idearum universalium per iudicia immediata et ratiocinia novas veritates cognoscit. — 3° fons est *fides*, qua ex testimonio alieno certas veritatum cognitiones haurimus.

124 **De facultatibus cognoscitivis.** Quia facultates cognoscitivae nobis fontes certitudinis sunt, breves de earum indole et discrimine notitias psychologicas praemittere iuvat, ut perspiciatur, quas singulae nobis cognitiones afferant. Facultates cognoscitivae sunt duplicis generis. Una est intellectus, aliae sunt sensus, qui intellectui in veritate assequenda ministrant.

I. *Sensus* sunt facultates organicae, quae in organis corporalibus inhaerent. Organa sunt subiecta sensuum et per sensus tamquam potentias sensationes elicitunt.

Sensus tantum obiecta materialia et concreta repraesentant, videlicet singularia corpora externa eorumque proprietates et qualitates, quae in organa sensitiva agunt, praeterea corpus proprium eiusque affectiones, non vero obiecta spiritualia et abstracta. In psychologia hodierna sensus apte in perceptivos et reproductivos dividuntur. Sensus perceptivi obiecta percipiunt i. e. accepta ab ils determinatione ea tamquam praesentia exhibent, ut sensus externi. Sensus reproductivi perceptiones habitas reproducunt i. e. obiecta aliquando percepta, nulla nova determinatione ab ils accepta, iterum repraesentant, non tamen ut praesentia et existentia.

1) *Sensus perceptivi* soli suppeditant experientiam. Perceptiones oriuntur, quatenus obiecta percipienda in organa sensuum agunt itaque facultatem ad sensationem excitant. Unde sequitur sensatio. Excitamentum illud in organo productum complectitur primum aliquid mere physiologicum et materiale, e. g. processum chemicum in retina oculi, prae-

terea impressionem psychicam, qua directe ipsa facultas ad sensationem determinatur; quae a scholasticis species impressa vocatur.

Sensus perceptivi sunt quinque sensus externi et praeterea aliqui sensus interiores. Quos ex ordine, quantum ad finem nostrum conducit, describemus.

Visus. Obiectum eius proprium sunt lux et colores: colores sunt lux varie modificata. Lux per pupillam in oculum intrat, frangitur et in retinam (Netzhaut) proicitur, in qua Nervus opticus tenuissimas fibrillas diffundit. In retina res colorata per processum chemicum sui imaginem opticam producit, qua sensus ad sentiendum excitatur. Diversae fibrillae nerveae diversis coloribus percipiendis inserviunt.

Auditus obiectum sunt soni. Vibrationes corporis sonantis per aerem vel aliud medium advenientes aurem mechanice percutiunt itaque facultatem determinant. Diversis sonis percipiendis pariter diversae fibrillae nerveae destinatae esse dicuntur.

Gustus obiectum sunt sapores. Eorum sensatio in ore excitatur, quatenus substantia gustanda in aliquo liquido, praesertim in saliva solvitur et sic nervos oris chemice afficit. Quattuor species saporum, nempe dulce, amarum, acidum, salsum similiter diversis fibrillis nervorum gustatoriorum alligatae esse videntur, ut aliae alias species percipiant.

Olfactus. Obiectum eius sunt odores, qui in naribus percipiuntur, quatenus substantiae odoriferae in minimas particulas divisae in naribus cellas nerveas olfactorias excitant. Etiam diversae odorum species diversis partibus organi olfactorii alligatae esse videntur.

Tactus. Eius obiectum est pressio sive resistentia corporum. Hac ratione res duras vel molles, acutas vel hebetes percipimus. Tactus excitatur pressione extrinsecus facta in organum, nempe in certas terminationes nervorum in cute vel in internis corporis partibus sitas. A diversa earum

frequentia diversa sensibilitas pendet, quae maxima est in lingua et in summis digitis.

Sensus temperaturae calorem et frigus percipit, postquam causae externae organum excitarunt. Organum sunt certae terminationes nervorum in cute (internae corporis partes fere hoc sensu carent). Physiologi nunc communiter affirmant has terminationes diversas esse ab illis, quae pressionem percipiunt; immo alia puncta nervea calori, alia frigori percipiendo inservire dicuntur.

Sensus kinaestheticus percipit motum situmque membrorum ac corporis, e. g. moveri pedes, manus, totum corpus, brachia hunc vel illum situm habere, musculos contrahi vel expandi. Excitatio fit in nervis membra et partes corporis penetrantibus.

Sensus organicus sive vitalis percipit gratas vel ingratas illas affectiones, ut famem, sitim, fatigationem, dolorem, quae ex convenienti vel inconvenienti dispositione corporis proveniunt et excitantur.

Conceptio vulgaris et antiqua psychologia sensum temperaturae, sensum kinaestheticum et organicum tactui adnumerat. Hodierna autem psychologia tactum strictius sumit eique tantum perceptionem pressionis seu resistentiae attribuit, alias autem aliis sensibus enumeratis assignat.

Sensus communis dicitur potentia sensitiva, qua perceptiones omnium sensuum perceptivorum ut proprias et simul omnia eorum obiecta sentimus. Scholastici sensum communem plerumque potentiam a reliquis sensibus distinctam habent. Attamen etiam probabile est eum non esse distinctum a reliquis sensibus perceptivis simul sumptis; nam sensationes omnium sensuum praeter obiectum etiam se ipsas percipiunt.

2. *Sensus reproductivi* sunt phantasia et memoria (sensitiva). Phantasia perceptiones habitas simpliciter reproducit, memoria eas praeterea ut aliquando habitas recognoscit. Quia hi sensus solum reproducunt, non vero percipiunt, non suppeditant per se novam experientiam. Sed

quia phantasmata perceptionibus se adiungunt et cum iis confluunt, eas recte et falso complere et modificare itaque etiam illusiones et errores producere possunt.

II. *Intellectus* sive ratio est facultas cognoscendi sublimior, quae non tantum materialia et individualia, sed supersensibilia etiam et abstracta cognoscit, non solum apprehensiones, sed etiam iudicia et ratiocinia elicit, essentias rerum apprehendit, nova, remota et futura perspicit, scientias colit. Ex quo sublimiore modo cognoscendi psychologia demonstrat intellectum facultatem spiritualem a sensu essentialiter diversam esse. Pro variis actibus, quos elicit, intellectus varia nomina gerit. Vocatur *conscientia,* quatenus actus subiecti proprii percipit, *memoria,* quatenus cognitiones habitas conservat et praeterita ut praeterita recognoscit, *ratio* denique, quatenus ratiocinia instituit.

Art. 2. De experientia interna

§ 1. De testimonio conscientiae

Experientia interna duplici facultate suppeditatur, primum 125
aliquibus sensibus perceptivis, scilicet tactu, sensu temperaturae, sensu kinaesthetico, vitali et communi, deinde conscientia intellectuali. Sensibus illis affectiones corporis nostri percipimus, pressiones, calorem, motus situmque membrorum, dolorem et similia, et quidem non abstracte, dolorem sine subiecto, sed concrete, subiectum dolore affectum. Sed quae sensus percipiunt, etiam conscientia intellectualis percipit; omnes enim affectiones illae in corpore animae unito ideoque etiam in anima sunt, quae propterea omnes etiam facultate sua intellectuali, conscientia, percipit. Idcirco de conscientia potissimum loquemur.

Conscientia (Bewußtsein, conscience) actum vel facul- 126
tatem significare solet. Conscientia intellectualis ut facultas est intellectus, quatenus immediate actus seu affectiones proprii subiecti cognoscit.

Itaque *obiectum* conscientiae sunt omnes actus psychici i. e. actus cognoscitivi et appetitivi tum sensitivi tum intellectivi. Et hos actus conscientia concrete percipit i. e. non actus abstracte, sed subiectum tamquam his actibus affectum. Alia psychica, quae actus non sunt, videlicet potentias et habitus, non immediate percimus. Functiones vegetativae nobis consciae non sunt, nisi quando sensationes, e. g. dolorem excitant: idque sapienter provisum est, ne infinita multitudine talium perceptionum nimis turbemur. Praeterea notandum est conscientiam intellectualem etiam clare subiectum, ego, ab actibus distinguere posse. Iudicamus enim distincte: ego tango, ego volo: id quod sensus non potest.

Conscientia actus psychicos imprimis apprehensione intuitiva percipit, quam postea eadem conscientia per iudicium immediatum enuntiare potest: „ego audio, ego desidero". Sed non iam ad conscientiam spectat iudicia mediata de natura actuum vel subiecti ratiocinando colligere, demonstrando e. g. spiritualitatem animae: id intellectus investigat, quatenus ratio dicitur.

127 *Conscientia directa et reflexa.* Duplex in nobis conscientia distinguenda esse videtur, reflexa et directa.

Conscientia reflexa adest, quando intellectus in actus subiecti proprii per novum actum distinctum redit, qui reflexio[1]) dicitur. Dubium non est, quin vel sponte vel data opera plurimos actus tali conscientia cognoscamus, exsistentiam eorum percipientes vel eorum indolem, proprietates, relationes et influxum mutuum contemplantes.

Conscientia directa vocatur quaedam experientia imperfecta, qua omnis actus psychicus se ipsum imperfecto quodam modo experiri dicitur. Per hanc igitur conscientiam subiectum in omni actu psychico non solum aliquod

[1]) Reflexio vocatur ontologica, si tantum obiectum actus, psychologica autem, si actum ipsum ut affectionem subiecti considerat. Hoc loco de reflexione psychologica sermo est.

obiectum attingit, sed simul etiam actum ipsum ut proprium imperfecte percipit, ut proinde actus eiusque conscientia directa realiter idem sint. Veteres, ut *Aristoteles*[1]) et *Thomas*[2]) talem conscientiam si non negant, saltem non attendunt; ad conscientiam actum distinctum postulare solent. Inter primos *Suarez* eam commemorat.[3]) Ex neoscholasticis multi eam admittunt. Psychologi autem moderni communiter omnibus actibus psychicis eam attribuere solent.

Conscientia directa *admittenda* esse videtur, praesertim propterea, quia sic melius explicari potest, quod continuo omnes actus psychicos saltem obscure experiri videmur, ut nullus actus penitus inconscius cum certitudine probari possit.

Sed etiamsi haec directa conscientia admittitur, omnes tamen concedunt perfectiorem rerum internarum cognitionem conscientia reflexa praeberi.[4])

Th. 21. Conscientia est medium per se infallibile, quo exsistentiam variasque proprietates actuum psychicorum (1. p.), praeterea propii ego et speciatim corporis nostri exsistentiam cognoscimus (2. p.).

Declar. 1. Conscientiae tantum cognitiones *immediatas* 128
adscribimus. Ideo ut talis internam naturam actuum non cognoscit. Pariter tantum percipit proprium subiectum exsistere et ad ego nostrum etiam corpus pertinere; in ego autem etiam animam includi a corpore diversam, spiritualem, substantialem tantum ratiocinatione colligi potest.

2. *Moderni philosophi* concedere solent de factis internis generatim spectatis per conscientiam certo constare; immo saepe sola facta interna certa esse putant. Nihilominus etiam hac in re multi errores et dubitationes exstant.

---

[1]) Cf. e. g. De anima III 2 (425 b). — [2]) Cf. e. g. 1 q. 87 a 3 ad 2. — [3]) De anima III 11 n. 1. — [4]) Nomina moderna conscientiam significantia (Bewußtsein, conscience, consciousness) non habent constantem significationem. Plerumque internam perceptionem proprii actus sive subiecti, sed saepe etiam complexum omnium actuum psychicorum designant.

a) Non pauci idealismo strictius addicti affirmant facta per conscientiam repraesentata esse tantum phaenomenalia seu solum in repraesentatione exsistere, non autem concedunt esse realia et exsistere in se physice. Alii vestigia Kantii prementes saltem contendunt corporeitatem („spatium") et durationem („tempus") mere phaenomenalia esse et proinde etiam proprium corpus omnesque proprietates temporales actuum, velut eorum prioritatem, successionem esse mere phaenomenalia.

b) Kant praeterea docet, ego, quod immediate attingamus, esse pariter tantum ego phaenomenale, cui quidem ego reale subsit, sed intellectui ignotum. (Praesertim plerumque negant animam, quae in ego includitur, substantiam esse; quod tamen hac thesi non asseritur.)

129 **Demonst. 1. p.** Conscientia non quidem operationes vegetativas percipit (nisi in quantum sensationes excitant), attamen 1) immediate percipit actuum psychicorum exsistentiam et, quamquam non omnes, multas saltem earum proprietates, velut simultaneitatem et successionem, durationem, modum, quo oriuntur, mutuum influxum, intensitatem; id obvia reflexio testatur. 2) In his autem cognoscendis ita infallibilis est, ut in perceptione intuitiva omnino non, in iudicio autem, immediato saltem, non per se falli possit. Ergo conscientia est medium per se infallibile, quo exsistentiam variasque proprietates actuum psychicorum cognoscimus.

Demonst. antec. 2. p. a) Quod *perceptionem* actuum attinet, evidenter cognoscimus eam talem esse, ut, quod sic intuemur, non possit non ita esse. Neque ulla falsitatis ratio adesse potest. Etenim voluntas, quae unica causa falsitatis esse posset, efficere nequit, ut intellectus intueatur, quod non exsistit. b) *Iudicia* immediata plerumque ex perceptione perfecte evidenti sequuntur. Sin autem contingit, ut apprehensiones non satis clarae sint, intellectus hanc obscuritatem per se detegere et a iudicio abstinere potest.

Demonst. 2. p. ***A)*** *Proprii ego exsistentiam cognoscimus.* 130
Per conscientiam intellectualem affectiones nostras ita cognoscimus, ut clare ego sive subiectum ab affectionibus discernamus; iudicamus enim: ego habeo cogitationem, ego audio, ego gaudeo. Et evidenter simul percipimus hoc subiectum esse aliquid reale. Ergo per conscientiam exsistentiam proprii ego cognoscimus.

B) *Proprii corporis exsistentiam cognoscimus.* Conscien- 131
tia non utcunque proprium ego percipit, sed simul evidenter manifestat ad ego nostrum pertinere corpus i. e. substantiam extensam.

Antecedens ita demonstratur.[1]) Conscientia evidenter cognoscit (quae cognitio falli nequit) ad ego nostrum pertinere substantiam extensam ex partibus constantem, quae in diversis partibus spatii sint, itaque substantiam corpoream. Nam

a) Cognoscimus, varias sensationes et affectiones tactus, doloris, frigoris aliasque (non de omnibus id aeque clare percipitur) ita in nobis esse, ut non sint punctuales, sed per aliquod spatium se extendant, praeterea ut variae sensationes inter se distent, e. g. dolor pedis et capitis, dolor manus dexterae et sinistrae. Praeterea si in cute, dum oculos claudimus, ab alio duabus punctionibus inter se aliquatenus distantibus duae sensationes producuntur, eas clare ut duas localiter distantes percipimus, etsi invicem simillimae sunt; et quando distantia punctionum crescit, pariter distantiam sensationum crescere percipimus.

b) Simili ratione sensationibus kinaestheticis immediate et directe percipimus diversum situm localem membrorum eorumque motus in diversas dimensiones; et hos motus ac membra distinguimus inter se, ne ipsas quidem partes symmetricas corporis confundentes, quamquam earum perceptiones simillimae sunt.

---

[1]) Haec cognitio conscientialis proprii corporis etiam ad alias res utilis erit.

Nec dici potest perceptionem apparentem extensionis et distantiae solum ex hoc oriri, quod oculis partes distantes corporis videamus vel imaginatio visualis diversas corporis regiones repraesentet et sensationibus associetur. Verum quidem est accuratiorem expressionem regionis corporis, in qua sensatio sita est, ex eo derivari, quod perceptionibus imaginatio huius regionis associatur: saepe enim vidimus affectiones huius qualitatis in illis membris produci. Sed saltem indeterminate perceptiones ipsae extensionem et distantiam exprimunt, nempe sensationes esse in parte superiore vel inferiore, in dextera vel sinistra, eas minus vel latius expandi. Experimenta allata enim clausis oculis fiunt; et sensationes, quae in diversis partibus percipiuntur, saepe simillimae sunt, ut imaginationi visuali nulla ansa detur ad diversum situm assignandum.

c) Qui nati sunt caeci, in quibus igitur nulla associatio imaginum visualium adest, completam propriae corporeitatis cognitionem habent; quae igitur ex solis perceptionibus sensuum internorum et conscientiae hausta est. Eodem modo sicut alii sensationes suas recte diversis membris attribuunt, partes dexteras et sinistras distinguunt. Et, si forte postea operatione chirurgica sanati sunt, plenam congruentiam suae corporeitatis, quam antea sola interna perceptione cognoverunt et quam nunc oculis vident, inveniunt.

132 *Nota.* Ut experientia proprii corporis, quae adversus sententias idealisticas non parvi momenti est, magis stabiliatur, commemorare iuvat sententiam in moderna psychologia frequentem, quae asserit omnes *sensationes tantum in cerebro fieri* et esse, non solum repraesentationes phantasiae (id quod concedendum est), sed etiam perceptiones, quas in diversis corporis partibus sentiri affirmavimus. Dicunt has perceptiones a nobis ipsis, quamquam absque clara conscientia, in illas partes referri, quae excitationem recipiunt, dolorem in pedem, ubi vulnus est, tactum in digitum, qui extrinsecus contingitur. Hoc „referri" vocant localisationem. Ratio praecipua eorum est, quod perceptiones in nobis fieri non possunt sine cooperatione cerebri; excidunt enim, si coniunctio cum cerebro interrumpitur.

Sed haec sententia admitti posse non videtur.

1) Contraria est clarae conscientiae. Nam saepe evidenter percipimus (etiam abstractione facta ab imagine visuali) perceptiones

in partibus corporis a cerebro distantibus inesse. Quod autem clara conscientia percipimus, verum habendum est. Aliter: si perceptiones ibi plane non sunt, ubi percipiuntur, non iam sufficienter contra idealistas demonstrari potest ad nos reale corpus ut partem constituentem pertinere.

2) Nec ratio allata sententiam demonstrat. Coniunctio quidem cum cerebro necessaria est, ut perceptio oriatur, et ex eo sequitur cerebrum aliquo modo active ad sensationem cooperari, non autem tantum ibi sensationem sedem habere.[1])

De actibus psychicis inconsciis. Nunc multum disputatur, 133
sintne actus psychici inconscii admittendi. Tantum ad actus psychicos quaestio refertur. Etenim actus vegetativi et habitus psychici sine dubio inconscii sunt. Plerique censent nullum esse actum inconscium psychicum, cuius non saltem tenuem conscientiam habeamus; et multi putant in se repugnare actum psychicum inconscium. Alii autem opinantur actus psychicos posse in „subconscientia" latere et sic inconscios esse.

Non videntur actus penitus inconscii admittendi esse.

a) Multi quidem actus sunt, quorum non habemus claram et perfectam conscientiam. Multa distracti videmus et audimus, quorum nulla in nobis memoria remanet. In somno dolores adsunt et in somnia influunt, sed eorum claram conscientiam non habemus nec postea recordamur. Res ingrata, de qua non iam cogitamus, quasi inconscia diu morosam animi affectionem producit. — Attamen haec et similia ostendunt quidem conscientiam non plus quam tenuem et imperfectam adfuisse, non autem demonstrant nullam adfuisse.

b) Si supponimus distinctionem conscientiae reflexae et directae, concedendum quidem est conscientiam reflexam interdum abesse posse, sed directa semper adest, quia cum omni actu psychico identica est.

Itaque non est admittenda *subconscientia* (Unterbewußtsein, subconscience). Subconscientia a suis defensoribus dici-

[1]) Cf. Psychol.[5] n. 151 ss.

tur pars vitae psychicae, quae in nobis adsit, sed inconscia sit, attamen in vitam consciam influxum exerceat itaque se prodat. Ex iis, quae supra exposita sunt, elucet non exsistere vitam psychicam inconsciam. Neque ullis factis demonstratur.

*134 ***De cognitione animae.** Ego vel substantia nostra completa praeter corpus aliam partem a corpore essentialiter diversam comprehendit, animam spiritualem, quae est praecipuum subiectum actuum psychicorum. Conscientia animam quidem immediate percipit, attamen materialiter, non formaliter spectatam; percipit quidem illam realitatem, quae anima est, attamen non ut animam sive substantiam a corpore diversam. Ut aliis verbis idem dicatur, conscientia animae quidem exsistentiam, non autem essentiam, nempe immediate, cognoscit. Ad id ratiocinatio requiritur. Ratiocinatio essentiam animae ex actibus cognoscit, quatenus in naturam actuum inquirit et inde concludit, ad causam et subiectum talium actuum praeter corpus etiam aliam partem essentialiter diversam, substantialem, spiritualem, immortalem pertinere.

Ex hoc modo, quo animam cognoscimus, colligitur cognitionem essentiae animae in hac vita potius *analogam* quam propriam dicendam esse. Etenim tantum ex actibus eam cognoscimus. Naturam autem specificam actuum conceptibus propriis non apprehendimus. Actus quidem imperfectiores, e. g. quid sit fames et dolor, satis clare percipimus. Sed actus perfectiores, ut naturam imperii voluntatis, libertatis, cognitionis tam obscura apprehensione attingimus, ut saltem perfecte propria dici nequeat; spiritualitatem autem actuum omnino non attingimus.

Ex his omnibus denique perspicitur animam in hac vita tantum *per actus* cognosci, seu animam non per substantiam et essentiam suam se nobis manifestare, sed per actus et sub actibus. Neque exsistentiam animae percipimus, nisi quando sentit, intellegit, agit, neque essentiam eius aliter quam per actus et ex actibus cognoscimus. Ita

recte affirmatur nos animam „non cognoscere per essentiam", sed per actus tantum.

§ 2. De erroribus conscientiae

Errores conscientiae generatim non in perceptionibus 135
conscientiae sunt, quae numquam percipiunt, quod non est, sed in iudiciis ex iis oriundis, quae aliud sive plus affirmant, quam perceptum est. Error iudicii autem variis modis efficitur.

1) Accidit, ut, qui „motus primo primos" sive indeliberatas tentationes passi sunt, putent se liberum consensum dedisse; alii arbitrantur se dolorem in stomacho habere, qui revera in intestinis vel alibi sedet. In his et similibus error propterea committitur, quod conscientia facta interna, e. g. motum indeliberatum vel locum doloris obscure tantum percipit, perceptioni autem imaginationes adiunguntur consensum vel alium locum corporis repraesentantes, quae deinde cum perceptionibus confunduntur.

2) Speciatim illi, quibus brachium sive aliud membrum amputatum est, ulterius dolorem in membro amputato sentire sibi videntur. Quae deceptio ex hoc provenit, quod perceptio conscientialis sedem doloris solum obscure exprimit, cum dolore autem similiter imaginatio vivida brachii amputati associatur propter longam consuetudinem (et quidem ita fortasse, ut non solum dolor psychologice, sed statim nervus patiens physiologice imaginem brachii in cerebro excitet). Sed animadvertendum est apparentem perceptionem membri amputati non talem esse sicut in homine sano. Membrum plerumque corpori propinquius et abbreviatum videtur, e. g. manus amputata quasi humerum tangens; praeterea apparentia initio quidem vivida est, paulatim autem minuitur vel evanescit, praesertim si attentio accedit.

Si duo labia, superius et inferius, ex consueto situ dimoventur, unum ad dexterum, aliud ad sinistrum, et deinde stilo verticali tanguntur, situs sentitur obliquus.

Praeterea (experimentum „aristotelicum", iam ab Aristotele commemoratum) si digitus medius digito indici transversus imponitur et deinde intra digitos globulus ponitur et digitis tangitur, duo globuli tangi videntur (sed disparet apparentia, si digiti aspiciuntur). — Utrumque simili ratione declaratur: cum perceptionibus tactus, quales nunc in labiis et digitis sentiuntur, antea ex consuetudine associatae erant imagines visuales certorum locorum corporis, quae propterea nunc reproducuntur et apparentiam efficiunt.

136 3) Somniantes, amentes vel aliter in statu psychico alterato constituti saepe iudicant se sentire, agere, pati, quae non sentiunt et agunt. Dormiens, qui incommodum situm patitur, somniatur se operosum laborem peragere. Amens dolore stomachi affectus arbitratur se animal in stomacho gestare. In his conscientia non percipit, quae non sunt, sed intellectus ligatus sufficientem reflexionem instituere non valet, ut imagines perceptionibus adiunctas corrigat.

4) Somniantes, hypnotici, aegroti interdum personam propriam in aliam mutatam vel etiam duplicatam apprehendunt et agendo prae se ferunt („ego duplicatum"). E. g. somniantes adulti putant se pueros esse, hypnotici ex acceptis suggestionibus arbitrantur se novas personas vel bruta et lapides esse. Si in aegrotis perceptiones organicae vel kinaestheticae multum remittuntur et sic perceptio proprii corporis et motuum eius debilitatur, imaginantur interdum corpus, quod vident, non esse suum, in se alium loqui et membra movere, immo se ipsos iam mortuos esse. Alii constantes coactivas imaginationes et impulsus rationi contrarios in se sentiunt, quae propterea ab alia persona in se habitante profectae esse videntur. In his eventibus certe non persona ipsa mutata vel duplicata est, sed iudicium fallitur. Et hoc propterea, quia status accidentalis personae notabiliter mutatus simulque conscientia attenuata est, maxime vero, quia deliberatio intellectus debilitata est, ut imaginationes illae de nova persona non iam satis corrigantur.

*§ 3. De reminiscentia

Reminiscentia est functio memoriae. Cohaeret autem 137*
cum conscientia; quare hoc loco eius mentionem facimus. Ad memoriam spectat cognitiones pristinas reproducere et eas tamquam habitas eorumque obiecta ut prius cognita recognoscere sive reminisci. Memoria est sensitiva vel intellectualis. Reminiscentia autem intellectuali eorum quoque recordamur, quae memoria sensitiva retinet. De reminiscentia igitur intellectuali haec dicenda sunt.

1. Reminiscentia *oritur* ex reproducta conscientia actuum praeteritorum, nempe sic. Quando quis primum aliquam regionem vidit, tum eius perceptionem habuit tum conscientiam huius perceptionis tamquam facti proprii. Si postea revertitur, recognoscit regionem ut a se iam visam. Cum perceptione enim hodierna reproducitur perceptio pristina eiusdem regionis simulque reproducitur pristina conscientia exhibens, ut olim, hanc perceptionem (pristinam) tamquam factum proprium idque, teste experientia, saepe tam clare et evidenter, ut prudenter dubitari nequeat. Hac conscientia reproducta (memoriali) efficitur, ut regio ut iam visa recognoscatur.[1])

2. Memoria ut reminiscentia spectata aeque medium 138*
per se *infallibile* est ad obiecta sibi propria cognoscenda sicut conscientia. Sicut perceptio conscientialis numquam percipit, quae non sunt, ita nec memoralis praeterita percipit, quae non fuerunt; id reflexio interna docet.

3. Tamen *errores* in memoria eveniunt sicut in conscientia. Et similiter explicantur. Non raro homines putant aliisque narrant se vidisse et audivisse, quae tantum ex parte vel aliter vel forte omnino non viderunt, admiscentes novas circumstantias, alias mutantes, ea, quae ex memoria exciderunt, complentes, dubia sine dubitatione asserentes, ea, quae imaginatio repraesentat, aliquando visa esse affirmantes vel, quae nunc primum vident, iam se vidisse arbitrantes. In talibus perceptio memorialis quaedam omnino

[1]) Confer Psychol.[5] n. 275 s.

non, alia tantum ex parte vel obscure reproducit et recognoscit: his autem imaginationes se immiscent, intellectus vero attentione omissa vel impedita iudicat ea, quae non reproducuntur, non fuisse, quae obscure exhibentur, aliter se habuisse, quae vivida phantasia repraesentantur, visa esse. Haec eo facilius accidunt, quo vividior est imaginatio, quo mobilior affectus, quo minor deliberationis consuetudo.

Art. 2. De experientia externa

§ 1. De statu quaestionis

139 Experientia externa est illa cognitio, qua ex sensuum, externorum imprimis, testimonio facta externa cognoscimus, nempe rerum externarum exsistentiam et proprietates. Haec cognitio ita fit, ut sensus intellectui suas perceptiones sistant, quibus tamquam fundamento innixus intellectus perspicit et iudicat extra nos res exsistere easque esse corpora certae magnitudinis, figurae, distantiae et varias habere qualitates, talem colorem, temperaturam, hos odores variasque subire mutationes. Experientia igitur praeter sensuum perceptiones etiam cognitionem intellectus includit. Proinde animalibus tantum imperfecto modo experientia ascribi potest.

Ergo quaestio tractanda est, num et quo iure intellectus ex testimonio sensuum certitudinem acquirat exsistere res easque esse corpora his qualitatibus instructa.

Permulti nunc negant nos quidquam de mundo externo ex sensuum testimonio colligere posse, quod sensationes tantum affectiones subiecti sint. Alii saltem negant de rerum corporeitate constare, quoniam corporeitatis phaenomenon tantum ex subiectiva institutione sensuum producatur. Sunt denique, qui solum de realitate quarundam qualitatum, speciatim de coloribus dubitent. Plerumque autem homines sibi persuasum habent ex sensuum testimonio de his omnibus constare.

Si homines vulgares interrogantur, cur iis ita persuasum sit exsistere corpora huius figurae, coloris, tali calore et

odore instructa, simpliciter respondere solent: quia haec video, tango, sentio. In qua responsione supponunt sensus immediate corpora externa et omnes eorum proprietates in se ipsis percipere et propterea omnia realiter talia esse, qualia sensibus exhibentur. Haec conceptio vocari solet *realismus vulgaris*.

Sed gravia dubia de hac concipiendi ratione moventur. Obicitur complures sensus, velut olfactum et sensum temperaturae non immediate obiecta externa, sed tantum subiectivas affectiones percipere; etiam in visu tantum ex consuetudine per quandam proiectionem fieri, ut tam clare res externas exhibere videatur; magnitudinem, figuram, colores saepe tales extra non esse, quales repraesentantur; et alia.

Haec nos monent, ne hanc concipiendi modum simpliciter adoptemus, sed examini scientifico subiciamus, et imprimis ut de ipsis perceptionibus sensitivis inquisitionem psychologicam instituamus, quid referant quidque non, utrum revera cum tali evidentia, ut opinio vulgaris fert, immediate res externas in se ipsis exhibeant necne. Haec quaestio psychologica prima esse debet. Ab ea pendet altera, quaestio critica, num et in quantum repraesentatio sensuum, qualem haec reflexio ostendit, intellectui legitimum fundamentum praebeat ad acquirendam certitudinem de rerum externarum exsistentia et proprietatibus.

I. **Quaestio psychologica.** Attenta reflexio docere videtur 140
sensationes externas non esse proprie dictas cognitiones rerum externarum eas immediate in se percipientes, sed esse reactiones psychicas ad earum excitationes et hac ratione manifestare exsistentiam et proprietates rerum externarum. Haec duo paulo uberius exponenda sunt.

1. Sensationes externae *non videntur esse cognitiones proprie dictae rerum externarum* eas immediate in se ipsis percipientes seu non videntur esse (instar cognitionum intellectualium) imagines intentionales res externas earumque proprietates, sicut independenter a sensatione in se ipsis sunt, attingentes et percipientes. Quod ex his elucet.

a) *Plerique sensus,* nempe gustus, olfactus, sensus temperaturae, sensus vitalis et tactus (de auditu dubitari possit) immediate tantum affectiones proprii subiecti percipiunt; in eorum sensationibus nihil externum seu transsubiectivum detegi potest. Amoenus odor, dulcis sapor, quales percipiuntur, nihil sunt nisi gratae affectiones subiectivae, quae quidem rosa et saccharo excitantur, sed, quales percipiuntur, in rosa et saccharo minime sunt; nec concipi potest eas tales extra sensationem esse. Pariter frigus hiemis, calor fornacis, dolor ex acu causatus tales, quales sentiuntur, extra non sunt, sed affectiones subiecti sunt, quae sub diverso respectu ut perceptiones (sui) et ut obiecta percepta spectari possunt. Vocatur quidem etiam proprietas illa, qua corpus externum hunc calorem in nobis producit (motus molecularis), „calor". Sed hic calor externus (causalis) non immediate percipitur. Etiam tactus resistentiam, mollitiem, duritiem corporum sic percipere videtur, ut immediate pressionem cutis sentiat per resistentiam externam productam. Affectio autem subiecti concrete percipitur tamquam affectio proprii subiecti, proinde cum affectione immediate etiam subiectum percipitur idque in compluribus sensibus clare tamquam corpus.

141 b) *Visus* ab aliis sensibus aliquatenus differt. Nam obiectum suum non tamquam affectionem subiecti exhibet. Nihilominus non videtur affirmari posse eius sensationem instar cognitionis proprie dictae immediate res in se ipsis percipere.

α) Plerumque vel semper talis diversitas est inter repraesentationem visus et rem externam, qualis cum cognitione proprie dicta seu perceptione immediata rei in se conciliari nequit. Saepe res in se sunt ingentes montes, in expressione visus autem apparent parvae multoque minores mensis et sellis; res in se sunt immotae, in repraesentatione visuali apparent motae, ut res currum ferreum praetervolantes; in se sunt coloribus spectralibus indutae, in sensu sunt albae; circulus in se rotundus est, ex latere

aspectus apparet ellipsis; si oculi digito premuntur vel electrice afficiuntur, oriuntur repraesentationes lucis, quamquam extra nulla lux est; si oculus aliquamdiu rem rubram et deinde cartam albam aspicit, hanc viridem videt; daltonistae loco colorum spectralium vident album vel canum. Immo in hallucinatione, quae ab externa sensatione saepe non differt, res apparent, quae omnino non sunt.

β) Phantasma certe non est immediata perceptio obiecti externi, quippe quod plerumque non adest. Nihilominus a sensatione externa (ut psychologia empirica merito docet) tantum differt minore intensitate et vigore; quae intensitas etiam gradus habet et quandoque tanta est, ut imaginatio a sensatione externa vix discernatur.

γ) Cum aliae sensationes respectu rerum externarum non sint cognitiones proprie dictae, sed tantum reactiones psychicae, idem, nisi contrarium demonstretur, de visu supponendum est.

δ) Sensatio visus videtur quidem cum quadam evi- 142
dentia, simili cognitioni intellectuali, obiecta sua ut externa seu distantia exprimere. Attamen ostendi nequit hanc „evidentem“ expressionem ipsi sensationi inesse. Sed consuetudine et experientia i. e. actibus memoriae, phantasiae, reflexionis, sensationi adiunctis et cum ea confluentibus, efficitur, ut tam clare obiecta a nobis distare videantur. Didicimus enim res sic in visu apparentes revera externas et corpora esse. Si per reflexionem illos actus arcere conamur, apparens expressio minuitur vel evanescit. Hanc apparentiam effici actibus phantasiae et memoriae etiam colligi potest ex imaginibus. In imagine regionis inter domos propinquas et montes remotos etiam distantia apparet, quamquam omnia in eodem plano picta sunt. Qui nati sunt caeci et postea visum receperunt, statim post sanationem non similiter obiecta visa ut in spatio externo sita percipiunt, sed obiecta e. g. oculos tangere eis videntur.

143 2. Sensationes externae sunt *reactiones psychicae et quidem repraesentativae* ad excitationes rerum externarum, et hac ratione *rerum exsistentiam et proprietates manifestant.*

Reactio psychica est actio sensitiva ad excitationem externam producta, quae quidem cognitio proprie dicta non est, attamen rei excitanti respondet. Tales autem sunt sensationes. Excitantur enim rebus externis, prout infra distincte demonstrabitur, eisque respondent: diversae enim sunt sensationes, quae ad nivis vel flammae, ad sacchari vel aceti contactum oriuntur. Et quidem reactiones repraesentativae sunt, non inclinationes psychicae in obiecta sive appetitiones; sed sunt actus aliquid exprimentes.

Hac ratione autem sensationes rerum externarum exsistentiam et proprietates manifestant, exsistentiam, quatenus constat eas his rebus excitari, proprietates, quatenus cum iis conformes sunt. In quantum haec conformitas et manifestatio adsit, quaestio est critica. Tantum hoc interim notetur, si sensatio reactio psychica dicitur, minime negari eam posse esse plane *conformem* cum re externa excitante. Nam tamquam reactio repraesentativa exprimit aliquid, quod quidem ipsum est obiectum actui immanens, attamen cum re excitante congruere potest. Hac ratione sensatio dici potest rem externam repraesentare, quia repraesentat aliquid, quod est sicut res externa et proinde eius vices gerit. Res externa in illo obiecto repraesentatur sicut fere homo in imagine picta, quae cum eo congruit eiusque vices gerit. E. g. moneta certae magnitudinis, quam manus tangit, in manu pressionem eiusdem magnitudinis et figurae excitat; sic igitur in pressione percipienda percipitur aequalis magnitudo et figura monetae. Si mons nivibus tectus oculum afficit, id, quod oculus repraesentat, cum re transsubiectiva congruit, non quidem magnitudine aequali, attamen saltem extensione generatim spectata et spectata figura et colore (saltem aliquatenus). Sic sensatio rem externam percipit, non proprie cognoscitive tamquam similitudo intentionalis rem in se attingens, sed sensitive i. e. modo, quo

sensus externa percipere potest, nempe tamquam reactio repraesentativa cum re conformis. Spectat autem ad quaestionem criticam, quanta eiusmodi conformitas asseri queat.

II. **Quaestio critica** haec erit, num et in quantum sen- 144
sationes, quales reflexio psychologica exhibet, exsistentiam et proprietates rerum externarum manifestent seu num et in qua amplitudine intellectui fundamentum praebeant ad certitudinem de rerum exsistentia et proprietatibus.

In hac quaestione per tres gradus ascendimus, qui triplici modo respondent, quo sensationes spectari possunt. Possunt enim primo tantum spectari, quatenus actus psychici sunt et causis externis excitantur; sic manifestant extra nos exsistere res. Possunt deinde considerari, quatenus repraesentationes sunt certa obiecta exprimentia. Sub hoc respectu iterum duplicem considerationem admittunt secundum duplex obiectum suum.

In sensationibus enim scholastici cum Aristotele duplex obiectum distinguunt, proprium et commune. *Obiectum proprium* (sensibile proprium) est singulis sensibus peculiare, ut lux et color visui, sonus auditui, resistentia tactui. Obiectum *commune* (sensibile commune) non uno tantum, sed omnibus vel compluribus sensibus, visu praesertim et tactu, percipitur et est extensio corporalis eiusque determinationes, nempe magnitudo, figura, distantia, motus, quies.[1])

Sed sensus sensibile proprium et commune, quamquam accidentia sunt, non percipit tamquam accidentia, ea distinguendo a substantia, sed sine tali distinctione et hoc sensu concrete.

Aristoteles obiecta sensuum ita distinguit: „Duo dicimus per se sentiri, unum per accidens. Illorum duorum unum est proprium unicuique sensationi, alterum commune omnibus.“ De an. II 6 (418 a 8). Sed notandum est, substantiam, quae ab Aristotele „sen-

[1]) Sensibili communi etiam adnumerandae sunt duratio eiusque determinationes, ut simultaneitas, successio, quae nomine „temporis“ comprehendi solent. Sensus enim etiam has qualitates temporales suarum sensationum et in iis mediate rerum externarum relationes temporales percipiunt.

sibilis per accidens" dicitur, tantum improprie sensibilem dici. Substantia enim his quidem, quae sensus per se percipit, subest, attamen ipsa sensu minime percipitur (nec post consecrationem eucharisticam sensus defectum substantiae panis animadvertit). Sed tantum cogitatione intellectuali attingitur et subesse cognoscitur. Ceterum ipse Aristoteles explicite adiungit sensibile per accidens sensum non determinare et solummodo intellectu cognosci (ib. a 23 et 425 a 20). Cf. *S. Thomam* 2 Anim. l. 13: 1 q. 17 a. 2: 3 et alibi.

145 Secundum hanc triplicem considerationem *triplex gradus* distingui potest in notitia rerum acquirenda:

1. Sensationes spectantur solum ut actus subiecti et ope principii causalitatis ad causas earum externas concluditur et ostenditur, *res* extra non esse.

2. Spectantur, quatenus sensibile commune sive corporeitatem referunt, et ostenditur hanc extensionem similiter in rebus esse, sicut exprimitur, itaque res externas *corpora* esse.

3. Spectantur, quatenus *qualitates sensibiles* referunt, et investigatur, utrum qualitates tales, quales apparent, realiter in rebus sint necne.

Hunc triplicem gradum discernimus, quia sensus ad eos diverso modo concurrunt, quia singulis diversi adversarii opponuntur, maxime autem quia non idem est omnium momentum et certitudo. Gravius enim et certius est existere res easque esse corpora, quam qualitates sensibiles formaliter tales exsistere, quales apparent.

Primum igitur ostendimus sensibus certo constare, esse res externas easque vere esse corpora.

§ 2. Exsistere res externas easque corporeas

Th. 22. Sensus externi certo manifestant extra nos exsistere res, quae sensationum causae sunt.

146 **Declar.** In hac thesi sensationes externas spectamus tantum *ut actus subiecti*, et inferimus exsistere extra nos res, quae has sensationes excitent itaque se nobis manifestent. Haec quidem non unica via est ad rerum exsisten-

tiam demonstrandam; eandem implicite etiam thesis sequens ostendit. Sed contra idealistas, qui sensationibus omnem volorem obiectivum denegant, utile est demonstrare etiam sic sensationes res externas postulare. Abstrahimus autem a quaestione, quales sint istae res, utrum corpora sint, an ignotum x, quale Kant admittit, sive fortasse etiam entia simplicia, qualia dynamistae et spiritualistae admittunt.

Thesis *idealistis* (acosmistis) opponitur, qui res externas negant vel de certa earum cognitione desperant. Idealistae generatim quidem negant, ullas cognitiones, sive sensitivas sive intellectuales, obiecta ab ipsis distincta attingere. Sed, cum id evidens esse censeant, si agitur de apprehensionibus obiectorum possibilium sive metaphysicorum, tantum de cognitione rerum exsistentium itaque maxime de perceptionibus sensuum loqui solent, negantes nos ex eorum testimonio exsistentiam mundi externi cum certitudine cognoscere posse.

Inter idealistas, praetermissis antiquis Indis, Heraclito aliisque, praecipue nominandus est *Berkeley* († 1753), qui spirituum quidem exsistentiam concedit, sed sensationibus nostris quidquam respondere negat; eas a Deo in nobis produci affirmat: „Dicere ‚tabula, in qua scribo, exsistit' idem est atque ‚ego eam video et sentio', et si essem extra cubiculum meum, eam exsistere hoc sensu dicere possem, quod, si in cubiculo meo essem, eam percipere possem . . Hic est unicus sensus huius et similium expressionum."[1])

Demonst. Causa excitans sensationum externarum aut 147
sunt res, quae nos circumdant, aut, his non exsistentibus, subiectum sentiens aut ipse Deus. *Atqui* neque subiectum neque Deus sunt causa. Ergo res externae sunt sensationum causae. Et proinde sensus externi certo manifestant exsistere extra nos res.

---

[1]) „The table I write on I say exists, that is, I see and feel it: and if I were out of my study I should say it existed — meaning thereby that if I was in my study I might perceive it, or that some other spirit actually does perceive it . . . This is all that I can understand by these and the like expressions." Of the Principles of Human Knowledge III.

Demonst. min. 1. p. Imprimis evidens est nos non posse sensationes externas ex libero arbitrio sicut imaginationes phantasiae excitare et dirigere. Non in libera potestate positum est audire amoenam musicam vel vocem absentis amici.

Sed perceptiones neque cum necessitate ex causa nobis interna modo quodam inconscio proveniunt sicut fere motus cordis. Nam deest in iis illa uniformitas et constantia, quae talibus eventibus interna organisatione causatis propriae sunt. Conspiciuntur in ortu et successione ita a certis condicionibus mutabilibus pendere, ut evidenter eluceat eas non internis, sed externis causis excitari ac dirigi. Ad videndum oportet oculos aperire, ad audiendum aures admovere; numquam perceptiones mutabili subiecti dispositione determinantur; tantum certa serie a subiecto independenti inter se sequuntur: ut sensationum certarum domorum urbis accipiam, oportet prius egressum e domo praeparare et experiri, deinde habere perceptionem huius, postea alterius plateae, neque umquam haec successio arbitrarie mutari potest.

Demonst. min. 2. p. Si Deus rebus non exsistentibus solus causa determinans sensationum esset, continuo efficeret, ut invincibiliter in errorem induceremur. Sic enim perpetuo in nobis sensationes produceret, e. g. tantum si oculos aperimus, si aures admovemus, ut credere oporteret eas rebus externis excitari. Neque ullus finis Deo dignus inveniri potest; sed esset fascinatio sapientiae et veracitati Dei contraria.

Th. 23. Sensus externi, visus praesertim et tactus, certitudinem praebent exsistere extra nos corpora.

148 **Declar.** Ulteriorem gradum ascendentes sensationes non solum ut actus psychicos spectamus, sed speciatim ut tales, quae aliquid repraesentant et quidem extensionem sive sensibile commune; et ostendimus hanc repraesentationem esse conformem rebus ipsis, quatenus corporeitas expressa

revera cum rebus concordat. Respicimus autem praesertim visum et tactum. Gustus enim, olfactus, auditus extensionem parum referunt. Sed tactum latius sumimus, quatenus etiam sensum temperaturae, sensum organicum et kinaestheticum includit.

Thesis iis praesertim opponitur, qui concedunt quidem sensationibus aliquas res respondere, sed negant eas esse corpora, seu, ut termino moderno utamur, negant „spatium" sive dimensiones corporales esse reales. Omnium signifer *Kant* est, qui extensionem, quam „spatium" vocat, „formam intuitus a priori" sive formam subiectivam vocat.

„Idea extensionis", inquit *Hume*, „tantum acquiritur per sensus visus et tactus; et si omnes qualitates sensibus perceptae tantum in anima, non in re ipsa sunt, idem etiam de idea extensionis concludendum est."[1]) Eadem ratione alii loqui solent: „Mundus sensibilis organisatione nostra producitur. Visibilia organa nostra, sicut aliae partes mundi phaenomenalis, tantum imagines rei ignotae sunt."[2]) „De veritate principii idealistici, quod enuntiat totum mundum corporeum respectu mei eum repraesentantis esse phaenomenon, dubitari nequit."[3]) „Spatium non potest tamquam extrasubiectiva realitas ‚in se' exsistere"; „totus mundus internus et externus in repraesentatione contentus est."[4]) „Non corpora producunt sensationes, sed complexus sensationum efformant corpora."[5])

Visus obiectum suum non solum repraesentat extensum, sed simul lucens sive coloratum. Sed de obiectivitate lucis

---

[1]) „The idea of extension is entirely acquired from the senses of sight and feeling; and if all the qualities, perceived by the senses, be in the mind, not in the object, the same conclusion must reach the idea of extension." An Inquiry concerning Human Understanding s. XII p. 1. — [2]) *A. Lange:* „Die Sinnenwelt ist ein Produkt unserer Organisation. Unsere sichtbaren Organe sind gleich allen anderen Teilen der Erscheinungswelt nur Bilder eines unbekannten Gegenstandes." Geschichte des Materialismus[10] (1921) II 423. — [3]) *L. Busse*. „Die Wahrheit der idealistischen Grundansicht, daß die ganze Körperwelt Erscheinung für mein sie vorstellendes Bewußtsein ist, ist unbestreitbar." Geist u. Körper[2] (1913) 18. — [4]) *W. Schuppe:* „Der Raum . . kann nicht als außerseelische Wirklichkeit ‚an sich' existieren"; „die ganze innere und äußere Welt ist Bewußtseinsinhalt." Grundriß d. Erkenntnistheorie u. Logik[2] (1910) 13. 35. — [5]) *E. Mach*. „Nicht die Körper erzeugen Empfindungen, sondern Elementarkomplexe (Empfindungskomplexe) bilden die Körper." Analyse der Empfindungen[9] (1922) 23.

et colorum multi, etiam non pauci ex neoscholasticis, dubitant. Ne igitur rem graviorem dependentem faciamus a re controversa, argumentis utemur ab hac re independentibus, nempe talibus, quibus speciatim testimonium visus et tactus quoad sensibile commune comprobatur, quidquid interim de realitate colorum dicendum est.

149 **Demonst.** 1. *Ex persuasione universali.* Omnes, quorum mentes doctrinis idealisticis vitiatae non sunt, ex testimonio sensuum, visus maxime et tactus, firmiter sibi persuasum habent tum se ipsos habere corpora, tum extra se exsistere corpora, qualia sensibus exhibeantur. Et si forte contingit, ut ad dubitandum de realitate sonorum, colorum aliarumque qualitatum sensibilium permoveri possint, tamen vix fieri potest, ut etiam de exsistentia corporum efficaciter et constanter dubitare incipiant, multo minus ut in dubitando constantes permaneant. *Atqui* persuasio tam firma et universalis idque in re maxime obvia et quotidiana erronea dici nequit. Nam talis persuasio non aliunde provenire potest nisi ex causa omnibus hominibus communi, quae in hac re alia esse nequit nisi naturalis vis mentis veritatem evidenter percipiens. De tali autem evidentia dubitari non potest, quin omnis evidentia intellectus suspecta evadat. Ergo sensus externi, visus praesertim et tactus, certitudinem praebent exsistere extra nos corpora.

150 2. *Ex conscientia.* Repraesentatio visus et tactus, quatenus rerum extensionem sive corporeitatem exhibent, constanter, ubi comparatio fieri potest, concordat cum testimonio conscientiae, quatenus ipsa corporeitatem nostram exhibet. *Atqui* testimonium conscientiae intellectualis infallibile est. Quod supra ostendimus (n. 129). Ergo etiam relatio illa visus et tactus vera habenda est, proinde certitudinem praebet exsistere extra nos corpora.

Demonst. mai. a) *Visus* constanter, quotiescumque examen instituimus, invenitur propriam nostram corporeitatem modo congruo repraesentare cum conscientia interna, non solum quoad extensionem generatim spectatam, sed etiam quoad

eius determinationes, magnitudinem, figuram, motum corporis nostri eiusque partium. Magnitudo et figura vulneris, quam oculis cernimus quamque doloris conscientia percipimus, aequalis est; motus brachii, quem oculis videmus quemque conscientia percipimus, idem est; situs corporis, quem oculo et quem conscientia animadvertimus, aequalis est. Cum igitur istae perceptiones visus cum suo obiecto conformes sint itaque valorem obiectivum habeant, a pari idem de reliquis eius perceptionibus corporeitatis (rerum externarum) concludendum est.

b) In *tactu* pariter, quando videmur rem parvam vel magnam, quadratam vel rotundam tangere, cum veritate apprehendimus rem in se parvam vel magnam, quadratam vel rotundam esse, quia sensatio ipsa rei contactu in nobis producta per conscientiam sic parva vel magna, quadrata vel rotunda percipitur.

3. Idem valor obiectivus visus et tactus eo confirmatur, quod *duo sensus,* visus et tactus, res ita extensas exhibent, ut in figura, magnitudine, motu repraesentando plane conveniant. Ubi visus figuram quadratam percipit, etiam tactus figuram quadratam, non rotundam apprehendit. Hoc autem sufficienter declarari nequit, nisi res ipsae tales sint.

Utrum externa immediate cognoscamus necne. Homines 151
ducti naturali cognitione a scientifica reflexione libera videntur immediate ex testimonio sensuum iudicare res vere extra exsistere et esse corpora huius figurae sive qualitatis, sicut in sensu apparent. Alia ex parte videri possit hoc immerito fieri, quoniam sensus res non per cognitionem proprie dictam in se ipsis attingant, sed per reactiones psychicas manifestent. Revera multi putant nos semper mediate tantum, ex principio causalitatis concludentes, e sensationibus rerum externarum exsistentiam et proprietates inferre.

Distinguendum est inter sensationem pure in se spectatam, quam perceptionem puram vocare liceat[1]), et am-

[1]) Empfindung.

plificatam[1]). Sensatio externa pure in se spectata intellectui non sufficiens fundamentum praebet, ut ea, quae dicta sunt, immediate asserere queat. Non enim ea clare in sensatione expressa invenit; neque sensatio visus ex se sola clare res ut externas sive distantes exhibet (n. 142).

Aliud autem dicendum est de *perceptione amplificata*. Experientia copiosa didicimus, res ita in sensu apparentes, sicut apparere solent, vere extra exsistere et esse res corporeas huius figurae vel qualitatis. Haec experientia per actus apprehensivos memoriales, sensitivos et intellectuales, perceptioni purae se adiungit et confluit et cum ea constituit perceptionem amplificatam. Haec igitur, continens in se praeter sensationem externam illas apprehensiones memoriales et experientiam pristinam diuturnam, *immediate* intellectui fundamentum praebet, ut sine ulteriore ratiocinatione inserta immediate propter hoc testimonium iudicet et merito iudicet res vere exsistere et tales esse. Simili ratione reminiscentia apprehensiva spectaculi aliquando visi, melodiae antea auditae, doloris aliquando tolerati immediate ad iudicium determinat et merito determinat, haec aliquando vere percepta esse. (Eadem perceptio amplificata etiam animalibus immediate dat apprehensionem rerum externarum tamquam realium et ea ad correspondentem modum se gerendi determinat.)

Sed quamquam haec cognitio intellectualis nunc formaliter immediata est, tamen non statim ab initio talis fuit. Antequam illa experientia memorialis formata est, quae nunc sensationi sponte se adiungit, praecesserunt eiusmodi discursus, quales in argumentationibus huius et praecedentis thesis indicatae sunt, non quidem semper formales, multo minus scientificae, sed virtuales; horum fructum illa experientia memorialis modo apprehensivo in se continet.

152 **Obiectiones.** 1. In sensatione non percipitur sensationem rebus externis excitatam esse, ideoque sensatio non manifestat earum exsistentiam. — *Resp.* D. non percipitur intellectu N. non sensatione ipsa Sd. non perceptione pura C. non amplificata (saltem indistincte) N.

[1]) Wahrnehmung.

2. Sensationes sunt reactiones psychicae. Atqui per tales possumus quidem cognoscere esse res extra, non autem eas esse corpora. — *Resp.* D. mai. si non sunt simul repraesentationes obiective conformes rebus C. aliter N.

3. Sensatio dicitur non immediate percipere res externas in se ipsis. Atqui sic non potest cognitio rei externae esse immediata. — *Resp.* C. mai. D. min. non ita immediate, ut in sensatione res externa in se ipsa expressa conspiciatur C. non sic, ut in ea tamquam in imagine vicaria cognoscatur Sd. haec cognitio non statim ab initio ita immediata est, ut non adsit quidam discursus virtualis C. non postea immediata est, sed praeter apprehensionem amplificatam requiritur discursus N.

4. Si sensatio visualis non rem externam in se percipit, error committitur, quoties id, quod repraesentat, simpliciter pro re ipsa sumitur, ut fieri solet. — *Resp.* N. vel D. error fit, in quantum intellectus immediate iudicat rem talem exsistere (qualis in sensatione apparet) N. si forte plus iudicat Tr. Iudicium immediatum ex perceptione amplificata sponte proveniens est: res talis exsistit (sic extensa, huius figurae sive motus, sicut in sensatione exprimitur); hoc autem verum est.

5. Secundum thesim visus et tactus in extensione percipienda 153
veraces essent. Atqui non sunt veraces. Nam a) in hallucinationibus repraesentant res, quae non sunt; b) saepe magnitudinem, figuram, distantiam aliter repraesentant, quam sunt, e. g. baculus aquae immersus fractus apparet. — *Resp.* D. mai. essent veraces veritate formali (quae tantum cognitioni proprie dictae intellectuali competit) N. veritate analogica Sd. essent sic veraces in condicionibus ordinariis (quas naturalis ordinatio sensuum postulat, praesertim ut organum sit sanum et determinatio conaturalis) C. veraces absolute N. Cd. min. Ad rat. a) D. adsunt condiciones ordinariae N. extraordinariae C. ad b) D. aliter repraesentant, quatenus tantum extensio generatim spectatur N. si eius determinationes spectantur Sd. aliter quam sunt absolute in se C. aliter quam determinant arganum N. Sensus ex natura tantum ordinati sunt ad repraesentandas res, sicut determinant, e. g. secundum imaginem retinalem; cui in exemplo allato repraesentatio revera conformis est.

Th. 24. Ad acquirendam certam notitiam de determinata magnitudine, figura, distantia, de motu vel quiete plerumque visus et tactus non sufficiunt, sed simul alia media adhibenda sunt.

Demonst. Visu et tactu certa quidem notitia compa- 154
ratur res externas habere realem corporeitatem. Attamen

non iam propterea etiam accuratam notitiam de huius corporeitatis determinationibus in thesi enumeratis afferunt. Sed experientia constat has determinationes in ipsis perceptionibus visus et tactus non accurate exprimi, ut praeterea alia adminicula adhibenda sint. Quod iam per singula capita ostendendum est.

1. Quod *magnitudinem* diiudicandam attinet, praeter oculos nonnumquam tactus adhibendus est. Quod autem oculos ipsos spectat, quorum ope praecipue magnitudinem diiudicamus,

a) saepe requiritur, ut oculi per totam rei extensionem circumferantur. Hac ratione omnes partes distincte cognoscuntur et simul perceptiones, quae motus oculorum et excitationes successivas retinae comitantur, ut mensura ad magnitudinem aestimandam inserviunt. (Sed hac ratione etiam deceptiones accidere possunt, v. g. quatenus lineam verticalem quandoque maiorem esse iudicamus quam aequalem horizontalem, quia ad verticalem intuendam maior musculorum conatus adhibendus est.)

b) Praesertim distantia obiecti attendenda est, si de ea aliunde constare potest. Oculus enim magnitudinem rerum repraesentat secundum magnitudinem imaginis in retina depictae seu, quod idem dicit, secundum angulum visualem, quo obiectum adspicitur; quo maior est angulus, eo maior est illa imago retinalis eoque maius apparet obiectum. Iam vero eo maior est angulus, quo propinquius est obiectum, eoque minor, quo magis distat. Sic etiam paulatim per associationem phantasmatum efficitur, ut cum percepta maiore distantia phantasma maioris magnitudinis associetur, ut igitur res, quae longius distare videantur, maiores nobis appareant.

155 2. *Figuram* quod attinet, pariter attendendum est eam visu exprimi, sicut in imagine retinali est, proinde baculum in aqua immersum apparere fractum, circulum ex latere adspectum apparere ellipsim.

3. *Profunditas* sive tertia dimensio corporum in profundum primum ex eo cognoscitur, quod obiectum non eodem

modo utrique oculo apparet; cubus aliter apparet dextero, aliter sinistro oculo, quia ex diversa parte aspicitur. (In eo usus stereoscopii nititur: si duae imagines planae eiusdem cubi ita partim convenientes partim discrepantes, sicut cubus sinistro et dextero oculo divisim sumptis videtur, in certa distantia sic componuntur, ut una tantum uno, altera altero oculo aspiciatur, repraesentatio corporeitatis oritur, quamquam imagines sunt planae.) Profunditas praeterea percipitur ex diversa distributione lucis et umbrae (dimensio corporis in profundum tendens et a nobis recedens obscurior apparet), adhibendo tactum, animadvertendo variam distantiam partium corporis ab oculo et aliis modis.

4. *Distantia* rei ab oculo cognoscitur imprimis ex appa- 156
renti magnitudine rei, si nimirum experientia scimus, qualem apparentem magnitudinem res in certa distantia sitae habeant. Magnitudo autem apparens sive repraesentata respondet semper imagini, quam res in retina producit; quae imago maior est, si res propinqua est, minor vero, si distat. Magnitudo praeterea ex perceptionibus kinaestheticis aestimatur, quae in oculi „accommodatione“ et in varia „convergentia“ utriusque oculi in rem contuendam oriuntur. (Accomodatio est mutatio curvitatis lentis ocularis talis, ut radii ab obiecto advenientes apte incidant in adversam partem retinae; convergentia vero est utriusque oculi directio in idem obiectum contuendum, quae igitur secundum distantiam eius variari debet.) Postquam hac ratione distantias propinquas recte aestimare didicimus, longiores ex interiectis minoribus facile dimetimur; qua in re etiam variis adiunctis, ut obfuscatione rerum distantium, iuvamur. Sic accidit, ut dimensiones vacuae, quae diversis corporibus interiectis non distinguuntur, e. g. dimensiones maris, minores nobis apparent quam distantiae corporibus intermediis distinctae.

5. In *motu iudicando* attendendum est visum repraesentare obiectum secundum imaginem retinalem, proinde motam, si illa imago in retina movetur, quiescentem, si non movetur. Ideo ex motu percepto tantum inferri potest

aliud corpus respectu nostri, v. g. solem respectu terrae, locum mutare, non autem statim inferre licet aliud corpus mutari, nos autem stare.

Fig. 1. (Müller-Lyeriana)



Fig. 2. (Zoellneriana)

Aliquot figurae[1]) ostendant exempla deceptionum simulque modum, quo produci solent.

In *Fig. 1* linea dextera propterea nobis maior apparet quam sinistra omnino aequalis, quia terminationes appositae in sinistra motum oculorum coarctant, in dextera autem extendunt et dilatant.

In *Fig. 2* lineae magnae, quae revera parallelae sunt, apparent inter se convergentes et divergentes, quia motus, quibus oculi lineas parallelas prosequuntur, propter appositas parvas lineas discurrentes distrahuntur.

Fig. 3. (Poggendorff.)

In *Fig.* propter similem rationem linea transversa non videtur, qualis revera est, una eademque esse.

Fig. 4 ostendit influxum imaginationis. Eadem Figura (a—i) apparet, si desuper aspicitur, tamquam scalae, aliter vero, si ex immo sursum aspicitur.



Fig. 4. (scalae Schroederianae

157 Itaque deceptiones, quae in magnitudine, figura, distantia, motu corporum diiudicandis frequentes sunt, non de-

[1]) Confer Wundt, Physiol. Psychologie[6] II 583 ss. Fröbes, Exper. Psychologie I[3] (23) 270 ss.

monstrant sensibus in repraesentanda extensione generatim spectata fidendum non esse. Sed tantum ostendunt non omnem sensationem omnes extensionis determinationes accurate exprimere, sed praeterea varia alia media recte adhibenda esse.

§ 3. De qualitatibus sensibilibus

Praeter extensionem sive corporeitatem sensus etiam 158
obiecta singulis propria sive „qualitates sensibiles" repraesentant. Iam investigandum est, num etiam hae qualitates tales, quales repraesentantur, in rebus exsistant et sensationes etiam quoad haec obiecta rebus conformes sint.

Certum est sensus etiam ad repraesentandas has qualitates rebus externis excitari, ad audiendum sonum vibrationibus aeris, ad percipiendos colores undulationibus aetheris; et quidem constanter alias vibrationes colorem rubrum, alias flavum vel viridem determinare, ut constanti proportione iisdem causis eaedem qualitates repraesentatae respondeant. Qualitates igitur repraesentatae certe causaliter in rebus sunt et quidem ita, ut sub hoc respectu quandam conformitatem relativam cum illis causis habeant.

Sed quaeritur ulterius, utrum *formaliter* tales qualitates extra exsistant, quales sensatione exprimuntur, ut igitur conformitas formalis adsit, an vero qualitates expressae *tantum causaliter* in rebus sint cum conformitate tantum relativa; itaque utrum in carta, in foliis arboris, in caelo talis color albus, viridis, caeruleus sit, qualis sensatione exprimitur, an vero solummodo variae undulationes aetheris ibi sint. Si qualitates tantum causaliter essent (condicionate loquimur), sensationes nihilominus vere signa essent manifestantia illas causas (motus); attamen conformitatem formalem non haberent neque sub hoc respectu imagines, sed symbola tantum essent. Multo minus iis veritas logica tribui posset, quippe quae conformitatem formalem postulat.

Aristoteles et *scholastici veteres* cum vulgari hominum 159
opinione affirmarunt qualitates formaliter in rebus esse,

multique neoscholastici assentiuntur. Qui supponere solent omnen sensationem esse cognitionem proprie dictam rem externam in se ipsa percipientem (saltem in condicionibus ordinariis). *Recenti* autem tempore multi ex scholasticis et fere omnes auctores moderni oppositae sententiae accedunt.

Inter philosophos modernos ea sententia ex tempore *Descartes et Locke* recepta est. Locke distinguit qualitates corporum primarias (sensibile commune) et secundarias (sensibilia propria). Primarias, utpote a compluribus sensibus perceptas, reales esse ait, secundarias vero rebus ipsis non magis similes esse dicit quam vocabula rebus significatis.[1]) Haec opinio postea etiam a rerum naturalium peritis recepta est, maxime postquam scientia physica sicut in aliis eventibus naturae ita in luce seu coloribus motus fieri perspexit.

Inter physiologos illam doctrinam Io. Müller per suam legem *energiarium specificarum sensuum* (1826) propagavit. Quae lex singulis sensibus hanc propriam virtutem inesse dicit, ut semper, quocumque modo determinentur, specificam suam sensationem eliciant, ut igitur qualitas sensibilis, quae exhibetur, non a causa excitante, sed a natura specifica sensus pendeat; „nam eadem causa", inquit, „in omnia organa sensoria agere potest, velut electricitas; nihilominus unus nervus inde videt lucem, alius audit sonum, alias odoratur, alius sapit electricitatem, alius sentit eam tanquam dolorem et percussionem."[2]) Haec lex generatim sumpta vera est. Multi vel plerique etiam intra eundem sensum energias specificas admittunt, velut in auditu, gustu, olfactu, in sensu temperaturae, quatenus diversae fibrillae sive ullae nerveae vel nervorum terminationes diversis sonibus, odoribus vel calori vel frigori percipiendis destinatae dicuntur. — Ex hac lege plerique moderni concludunt, sensibilia propria realia non esse. Sed alii eam legem admittunt illatione ista non admissa (cf. n. 165).

---

[1]) An Essay concerning Human Understanding II 8 § 9 s. — [2]) Handbuch d. Physiologie des Menschen[1] (1844) 667.

Haec quaestio fere tantum *visum* respicit. Nam in re- 160
liquis sensibus (praetermisso auditu) sensibile proprium, quod exhibent, tantum ut affectio subiectiva perciptur, velut odor, sapor, calor, pressio digiti; quod igitur formaliter tale extra esse nequit. Neque ab hominibus rebus externis tribui videtur; si enim odorem, calorem, frigus de rebus praedicant, sensum vocabuli mutant designantes non formalem, sed causalem odorem et calorem i. e. certam proprietatem rei, quae ita nos afficiat (cf. n. 140).

Itaque tantum de luce et coloribus quaestionem propositam tractabimus, attamen ita, ut neque unam neque alteram ex sententiis inter se pugnantibus asseramus, sed solum praecipuas rationes, quae pro utraque proponuntur, afferamus, ut quaestionem potius dilucidare quam absolute dirimere videamur.

***Sententia asserens colores et lucem formaliter** esse extra 161*
sensationem, his potissimum rationibus innititur:

1. Visus *magna cum evidentia* lucem et colores tamquam obiecta externa repraesentat. Haec evidentia sensitiva, licet non aequalis sit, valde tamen similis est evidentiae, quam intellectus de principiis suis, de factis conscientiae et memoriae habet. Haec autem evidentia intellectualis difformitatem cum ordine reali excludit. Ergo etiam illa evidentia sensitiva; proinde colores tales exsistunt, quales repraesentantur. — *Aliis verbis:* nequit obiecto visus, sicut refertur, realitas denegari, nisi fides in evidentiam et infallibilitatem intellectus labefactetur.

Respondere possunt alii. Non videtur illa evidentia adesse, quae asseritur. Imprimis sensatio externa in se sumpta sive perceptio pura non repraesentat ea claritate, quae asseritur, obiectum ut externum sive distans (cf. n. 142). Talis repraesentatio sive proiectio apparet in perceptione amplificata sive in sensatione aucta apprehensionibus memorialibus. Sed neque in hac perceptione illa „evidentia" de formali exsistentia colorum talis est, ut eiusmodi iudicium vitari nequeat. Nec iudicium, quo intellectus iudicat rem

visam albam seu viridem esse, simpliciter falsum dici potest, quia illi colores cum qualitatibus realibus rerum (motuum differentiis) conformitatem habent, non formalem quidem, attamen saltem relativam.

Etiam interrogari possit: si colores extra nos formaliter tales non sunt, cur natura sive Deus dedit nobis sensus, qui res percipiunt, quales non sunt, non autem alios, qui res perciperent tales, quales reipsa sunt? — Respondent alii: Non apparet, quomodo natura nobis sensus tam immensa subtilitate praeditos dare potuisset, qui distincte percipere et discernere possent illas varias billiones undularum aetheris minimae magnitudinis et immensae celeritatis. Certe multo facilius et celerius eas discernere et describere possumus, cum in colores quasi transpositae sunt. Adde, sic mundum multo pulchriorem apparere.

*162 2. Visus non fallit, quatenus *extensionem* sive rerum corporeitatem refert. Ergo neque fallit, quatenus colores refert. Nam eodem modo colores extra nos esse percipit. Aliis verbis: si in coloribus videndis visui fidere non possumus, neque ei fidere licet, quatenus extensionem repraesentat, ut igitur certitudo de exsistentia corporum labefactetur.

Respondent alii: Repraesentatio extensionis repraesentationem colorum multis modis superat, ut paritas non adsit. Nam specialem comprobationem accipit ex testimonio conscientiae et tactus (n. 150), qua altera caret. Deinde repraesentatio extensionis generatim spectatae est clarior et constantior; colores rerum saepe variabiles et dubii apparent, dum extensio constanter eadem manet. Praeterea obiectiones, quae contra colores afferuntur, eaedem contra extensionis repraesentationem proferri non possunt. Ideo non difficile quidem est hominibus persuadere colores non exsistere tales, impossibile autem est eorum persuasionem de realitate corporum infringere.

3. *Historia* docet, ex eo, quod quomodocumque negatum sit res tales esse, quales sensibus referantur, semper progressum factum esse ad dubitationem idealisticam de omni evidentia tum de exsistentia corporum ipsorum tum etiam de veritate cognitionis intellectualis. Ita scepti-

cismus Protagorae praeparatus est, ita Berkeley et Hume ex sententia Locke ad idealismum et scepticismum deducti sunt. Pariter apud recentes auctores haec sententia saepissime cum principiis idealismi kantiani cohaeret iisque demonstratur.

Animadverti potest: Quaestio praecipua haec est, fueritne hic progressus ad idealismum logice necessarius necne. De quo ex iis, quae in thesi praecedente et hoc loco exposita sunt, iudicium fieri potest.

***Sententia asserens colores et lucem causaliter** tantum 163*
extra nos esse, in his fere rationibus nititur:

1. Reflexio, refractio, polarisatio, interferentia lucis aliaque phaenomena optica ostendunt lucem et colores esse et propagari per minimas aetheris *vibrationes*. Ergo ibi, ubi oculus colores eorumque mutationes videt, extra nos motus motuumque vicissitudines sunt.

Respondent alii: Haec ostendunt lucem et colores necessario *coniunctos* esse cum certis vibrationibus, non autem *solas* vibrationes adesse sine coloribus. — Qui defendunt lucem et colores formaliter sumptos extra non esse, haec fere dicunt sive dicere debent. Colores in qualitate quadam corporea consistunt, quae inhaeret in particulis corporis colorati sive lucentis vel in particulis aetheris a corporibus absorpti et repulsi vel etiam in utrisque, iidemque colores constanti nexu sibi adiunctas habent illas vibrationes, quas physici singulis coloribus assignant, sive vibrationes ipsae colores producunt sive alio modo hic nexus explicandus est. Itaque color ruber actu tantum adest, si adsunt vibrationes correspondentes; quando autem vibrationes actu non adsunt (noctu), color ruber tantum in potentia adest, nimirum in dispositione specifica substantiae, quae certas vibrationes exigit sive producit.

Instant saepe alii: Non est necessarium praeter vibrationes formales colores postulare. Dummodo in mundo externo adsint vibrationes et oculum varie determinent, qui ipse deinde sensationes colorum producit, sensatio colorum sufficienter declarata esse vide-

tur. — *Respondetur* merito: Sic ortus psychologicus sensationis declaratur, quatenus tantum ut actus psychicus spectatur Tr. satisfit peculiari eius naturae, quatenus est repraesentatio N. Qui ita loquuntur, sensationes tantum sub respectu *psychologico* considerant, investigantes, quaenam forte causa sufficiens esse possit ad huius phaenomeni psychici ortum declarandum. Praetermittunt autem considerationem *criticam* seu rationes illas, quas prima sententia affert, sufficiatne *huic* peculiari activitati psychicae, quae repraesentatio alicuius obiecti est, conformitas relativa, an vero requiratur formalis.

*164 2. Complura *facta* directe ostendere videntur colores non esse formaliter extra.

a) Idem corpus modo hunc modo alium colorem induit, si varie illustratur, si aer interpositus mutatur, si ex varia parte aspicitur, e. g. gutta roris sole illustrata vel bulla saponis. Praeterea oculus instructus est peculiari apparatu, quo etiam res in parva luce sive crepusculo percipere potest. (Cellae visivae in retina sitae desinunt in prolongationes, quae formam bacillorum et conulorum habent. Conuli [secundum hypothesim a Parinaud et Kries statutam] solum sensationibus in luce diurna inserviunt, bacilli vero tantum in luce crepusculari perceptiones habere videntur et constituunt illum apparatum crepuscularem.) Hic apparatus autem colores spectrales (rubrum, flavum, viridem, caeruleum) omnino non percipit, sed res tantum ut albas, canas, nigras sentit. Colores igitur spectrales non videntur extra exsistere, sed tantum effectus subiectivi esse.

Respondent alii[1]): Adversariis ostendendum est colores illos modificatos extra perceptionem non esse, quales in istis circumstantiis mutatis videntur. Propter eandem enim circumstantiarum mutationem etiam vibrationes mutatae esse possunt in rebus ipsis vel in medio inter res et subiectum percipiens vel saltem in imagine retinae perceptionem determinante. Simile dicendum est de defectu colorum spectralium in crepusculo.

---

[1]) Cf. e. g. *Gredt*, De cognitione sensuum externorum[2] (1924): Unsere Außenwelt (1921).

b) Certe color sive lux *alba* non est talis extra nos, 165*
sed ubi color albus videtur, in ordine reali colores spectrales sunt. In oculo autem sensatio coloris albi ideo oritur, quod complures radii colorum spectralium (e. g. rubri et viridis) in eandem particulam organi nervei simul incidunt. Similiter colores spectrales in disco celeriter rotati in album mutantur. Pariter si pulveres pigmentorum flavi et caerulei inter se apte miscentur, oculus colorem viridem videt, alium igitur quam a parte rei est. Si enim microscopium adhibetur, distinctus singularum particularum flavus et caeruleus color videtur. Denique daltonistae colores spectrales vel omnino non vel saltem aliquos eorum non sentiunt, sed eorum loco colorem album vel canum vident.

Respondent alii, in re quidem complures esse colores, sed, cum oculus capax non sit distinguendis multis coloribus in unam oculi particulam incidentibus, unam oriri sensationem, quae illos colores complures in unum medium colligat. Daltonismum autem aliqui aiunt[1]) non continere difformitatem positivam, sed negativam tantum; colores spectrales tantummodo non percipi, non autem eorum loco alium poni.

c) Si oculus *vi electrica, pressione, morbo afficitur,* apparent perceptiones lucis et colorum. Ergo oculus habet hanc facultatem in se, ut possit, supposita determinatione aliqua coloribus omnino dissimili, phaenomena subiectiva colorum producere. Hanc igitur facultatem oculus etiam in casibus ordinariis exercere videtur, quando ordinariae aetheris undulationes adveniunt.

Respondent alii negando paritatem, tum propterea, quod in casibis allatis repraesentationes colorum non tam obiectivae et reales appareant sicut in casibus ordinariis, tum ideo, quod illi casus extraordinarii sint, in quibus veracitas sensus non defendatur. Alii dicunt, his causis, e. g. vi electrica, in retina oculi lucem produci, quae deinde percipiatur, vel repraesentationes istas non esse sensationes ex-

[1]) *Gredt,* De cognitione sens. ext. 147.

ternas, sed vividas repraesentationes phantasiae (quod certe verum non est).

*166 3. Sensibilia propria *aliorum sensuum* tantum causaliter in rebus sunt. Ergo ex paritate idem concludendum est de sensibili proprio visus.

Respondent alii negando, sensibilia propria aliorum sensuum tantum esse affectiones subiectivas. Illos sensus directe percipere aiunt qualitates externi corporis, sed simul cum modo subiectivo, quo organum afficiatur.

*§ 4. De spatio et tempore

Quaestionem supra tractatam, utrum res externae corporeitatem sensibus repraesentatam vere habeant necne, in hodierna philosophia exemplum Kantii sequentes plerumque sub his terminis tractare solent, sitne spatium ens reale, an vero tantum phaenomenon subiectivum. Idem de tempore quaerunt. Cum hac quaestione critica simul alteram psychologicam coniungunt, quomodo notiones sive perceptiones spatii et temporis in nobis oriantur. Utramque igitur quaestionem, quam ceteroquin ex parte iam tractavimus, sub his terminis hoc loco concinne oculis subiciemus simul cum doctrina Kantii, uberiorem eius tractationem ad cosmologiam et psychologiam transmittentes.[1])

*167 I. **Quaestio critica**: sintne spatium et tempus realia an verd phaenomena mere subiectiva.

1. *Spatium* secundum vulgarem usum loquendi est extensio concepta instar receptaculi corporum. Spatium enim in longum, latum, profundum extendi, ante corpora adesse corporaque recipere et continere dicitur. Spatium ita conceptum non est ens reale, attamen fundamentum reale habet. Nam „extensio“ in definitione contenta certe aliquid reale, non mere fictum est; quae tamen ita, sicut concipitur, tamquam „receptaculum“ ante omnia corpora exsistens eaque recipiens nullibi est.

[1]) Cf. Cosmol.[5] n. 83—90. 106 ss. Psychol.[5] n. 141 ss.

Sed in quaestione, quam tractamus, nomine spatii a philosophis simpliciter extensio corporum designari solet. Spatium sic acceptum simpliciter reale est.

2. *Tempus* secundum vulgarem usum loquendi est duratio successiva concepta instar capacitatis res durantes continentis. Tempus enim continuo fluere dicitur et praeterea in tempore omnia fieri, esse, durare concipiuntur. Tempus ita conceptum pariter non est ens reale, attamen fundamentum reale habet. Nam „duratio successiva" in definitione contenta aliquid reale est, velut duratio motus terrae circa solem, quae annus dicitur; attamen ita, sicut concipitur, nempe instar fluminis in se subsistentis omnesque res et eventus continentis, nullibi exsistit.

Sed etiam tempus in hac quaestione paulo secus intellegitur, nempe simpliciter idem ac duratio et in durando successio, simultaneitas, prioritas. Tempus ita acceptum simpliciter reale exsistit.

II. **Quaestio psychologica:** quomodo apprehensiones spatii 168*
et temporis in nobis oriantur.

1. *De spatio.* Si spatium secundum vulgarem conceptionem intellegitur, eius notio in nobis oritur, quatenus per sensum et internam conscientiam conceptum extensionis accipimus eique apprehensionem receptaculi corporum adiungimus. Sed quaestio nostra referri solet ad spatium, quatenus simpliciter *extensionem* significat.

Et quaeritur: quomodo perceptio spatii (Raumanschauung, perception de l'espace), qua res ut extensas in longum, latum, profundum (distans) percipimus, in visu et tactu oriantur, utrum ipsi sensationi insit sive „nativa" sit, an vero per consuetudinem et experientiam ei adiecta sit sive „empirica" sit. Et hoc quaeritur tum de perceptione plani (longitudinis et latitudinis) tum de apprehensione profundi. Controversia est inter nativismum et empirismum. Nativismus docet perceptionem obiecti tamquam plani et profundi saltem aliquatenus nativam esse. Empirismus contendit eum consuetudine sensationi adici, quatenus aliae

repraesentationes associentur, quae hanc apparentem perceptionem efficiant. Sine dubio multo plus veritatis nativismo inest.

Visum quod attinet, perceptio plani generatim spectata certe sensationi ipsi inest; oculus enim clare rem tamquam extensam repraesentat. Sed ad accuratam notitiam magnitudinis et figurae praeterea alia experientia postulatur (n. 154). Quod perceptionem profundi sive distantiae obiecti ab oculo attinet, clara eius perceptio ipsi sensationi non inest, sed saltem maxima ex parte fructus experientiae est (n. 142. 155).

Tactus (simul complectens sensum temperaturae, sensum kinaestheticum et organicum) in ipsa sensatione corporeitatem (imprimis proprii corporis) percipit (n. 131).

2. *De tempore.* Vulgaris conceptus temporis in nobis oritur, quatenus durationem successivam apprehendimus eique conceptionem receptaculi rerum et eventuum adiungimus.

Sed in quaestione proposita iterum tempus latius accipi solet. Et iterum alii magis nativismo, alii empirismo accedunt. Videmur primo per conscientiam percipere durationem, simultaneitatem, successionem actuum propriorum, e. g. cognitionum praeteritarum et praesentium, et in ea deinde successionem rerum externarum, quas sic cognoscismus.

*169 III. **Sententia kantiana** de spatio et tempore, maxime quatenus utriusque realitatem negat, nunc fere ubique recepta est. Quia Kant de tempore similia sicut de spatio docet, sufficiat doctrinam de spatio paucis exponere.

In opere „Critica rationis purae“[1]), in qua omnem cognitionem valore obiectivo privat, etiam speciatim demonstrare studet spatium (et tempus) pure subiectivum sive „formam intuitus“ (Anschauungsform) esse ante omnem

[1]) Kritik der reinen Vernunft, Transz. Ästhetik § 2–8; Prolegomena (1783) § 6 ss. De mundi sensibilis atque intelligibilis forma et Principiis (1770) § 14 s. Cf. infra, De systemate kantiano.

experientiam sensibilitati nostrae innatam, qua cogamur res, impressione extrinsecus accepta, tamquam corporales intueri. Insuper non satis distinguit spatium stricte dictum, quod supra definivimus, et extensionem; utrumque promiscue spatium vocat.

„Spatium", inquit, „non est ulla qualitas rerum in se ipsis." „Spatium nihil est nisi sola forma omnium phaenomenorum sensuum externorum i. e. subiectiva sensibilitatis conditio, sub qua sola intuitus externus possibilis est." „Hoc praedicatum [extensio] rebus tantum eatenus tribuitur, quatenus nobis apparent i. e. obiecta sensibilitatis sunt."[1])

Haec doctrina *neque probata (A) neque vera est (B).* 170*

A) Probata non est. Praecipuum *argumentum,* quod Kant profert, hoc est: Repraesentationes spatii (et temporis) sunt repraesentationes a priori i. e. non ab obiectis haustae, sed ex formis innatis ortae; atqui tales repraesentationes non referunt obiecta realia; ergo spatium et tempus non sunt realia. — *Resp.* N. mai. (spectat ad quaestionem psychologicam; n. 168). N. min.; ex eo enim, quod perceptiones non sunt per influxum obiecti *productae,* non sequitur, id, quod referunt, non esse obiectum reale. Etiam idea innata sive a Deo infusa posset habere valorem obiectivum.

Kant raro argumenti propositionem minorem, frequentius autem maiorem probare conatur et quidem his fere rationibus:

1. „Spatium non est conceptus empiricus, ex externis experientiis haustus. Nam ut quaedem perceptiones [scil. obiecta] ad aliquid extra me positum referantur . . item ut eas extra et iuxta invicem, proinde non tantum distinctas, sed etiam in diversis locis

---

[1]) „Der Raum stellt gar keine Eigenschaft irgend einiger Dinge an sich vor." „Der Raum ist nichts anderes als nur die Form aller Erscheinungen äußerer Sinne, d. i. die subjektive Bedingung der Sinnlichkeit, unter der allein uns äußere Anschauung möglich ist." „Dieses Prädikat wird den Dingen nur insofern beigelegt, als sie uns erscheinen, d. i. Gegenstände der Sinnlichkeit sind," Kritik d. reinen Vernunft, Transz. Ästh. § 3.

sitas repraesentare possim, notio spatii iam supponitur."[1]) — *Resp.* D. ut corpora tamquam *extensa* percipiantur, notio spatii iam prius in nobis esse debet N.; ut corpora tamquam in variis partibus spatii, *hic et ibi* posita apprehendantur, conceptus spatii iam supponitur C. (Sed non propterea nobis innatus est, verum acquiritur modo supra declarato.)

2. „Spatium est necessaria notio a priori, quae omnibus intuitionibus supponitur. Numquam imaginari possumus nullum esse spatium, licet bene concipere possimus nullas in eo res inveniri."[2]) — *Resp.* D. necessario fingimus adesse spatium formaliter sumptum N. adesse eius fundamentum i. e. possibilem esse extensionem (cuius conceptum ex perceptione corporum acquirimus) C.

B) Kant non satis distinguit spatium stricte dictum et ipsam corporum extensionem. Iam vero a) spatium stricte dictum saltem fundamentum reale habet, ut antea exposuimus, b) extensio vero simpliciter realis est.

Caput IV

De cogitatione mentis

171 *Cogitatio mentis* (Denken, pensée, thought) illa activitas intellectus vocatur, qua non per conscientiam et sensum facta interna sive externa experimur, sed ope idearum universalium per iudicia immediata et ratiocinia veritatis cognitiones comparamus. Haec triplex cogitationis actio ab experientia quidem pendet; ex ea enim per abstractionem ideae universales hauriuntur et pariter ratiocinatio a factis experientia oblatis incipere debet. Tamen homo cogitando longe ultra

---

[1]) „Der Raum ist kein empirischer Begriff, der von äußeren Erfahrungen abgezogen worden. Denn damit gewisse Empfindungen auf etwas außer mir bezogen werden, . . imgleichen damit ich sie als außer und neben einander, mithin nicht bloß verschieden, sondern als in verschiedenen Orten vorstellen könne, dazu muß die Vorstellung des Raumes schon zum Grunde liegen." Kritik l. c. § 2. — [2]) „Man kann sich niemals eine Vorstellung davon machen, daß kein Raum sei, ob man sich gleich ganz wohl denken kann, daß keine Gegenstände darin angetroffen werden." L. c.

experientiae limites progredi et illa attingere potest, quae nulla experientia apprehendere valet, rerum essentias et causas, supersensibilia et spiritualia; itaque capax fit ad vitam sublimiorem, moralem, religiosam agendam. Ergo in facultate cogitandi dignitas hominis fundatur.

Exponemus igitur, quae speciatim de hac triplici cogitandi operatione dicenda sunt praeter ea, quae iam antea de valore obiectivo idearum, de infallibilitate, veritate et certitudine cognitionis intellectualis demonstravimus. Deinde de ambitu cogitationis agemus, speciatim eius facultatem supersensibilia cognoscendi defendentes.

Art. 1. De ideis uuiversalibus

Sensus, utpote facultas organis materialibus alligata, 172
res tantum materiales et quidem singulares repraesentat, quales nimirum exsistunt et sensum determinant. Intellectui autem, supra inertis materiae condicionem ad maiorem in cognoscendo agilitatem elevato, proprium est obiecta sua ideis universalibus exhibere, quae id exprimunt, quod multis rebus commune est. Hic modus repraesentandi licet hanc contineat imperfectionem, quod non omnia, quae rebus singularibus insunt, repraesentantur, tamen *peculiarem mentis perfectionem* constituit. Hac enim ratione paucis ideis ea cognoscit, quae multis rebus insunt, et quidem plerumque necessarias et immutabiles earum essentias. Sic generalia principia statuere valet, quae rebus factisque singularibus applicare potest, et ulterius ad ratiocinia instituenda novasque notitias inveniendas habilis evadit et scientiarum systemata construere potest.

Quoniam igitur peculiaris cognitionis intellectualis excellentia ex ideis universalibus potissimum nascitur et insuper antiquo et recenti tempore perniciosi de his ideis errores exstant, ostendendum est, 1^0 mentem reapse ideas universales habere, 2^0 eas valore obiectivo praeditas esse; cum enim ideae abstractae rebus exsistentibus, quae semper individuales

sunt, non omnino conformes sint, vanae fictiones videri possint.

§ 1. Praenotanda

173 I. **Quid sit idea universalis.** 1. Extra mentem in ordine reali non exsistunt nisi individua, v. g. hic homo, Gaius, Antonius, haec et illa cypressus. Individua, quae communem naturam habent, inter se quidem similia sunt, attamen semper unumquodque eorum hanc naturam cum determinata individualitate possidet: Gaius et Antonius naturam humanam habent, attamen Gaius suo, Antonius alio modo; sunt enim duo diversi homines. Sed mens potest per abstractionem solum illam naturam seu id, quod multis commune est, concipere omittendo individualitates et discrimina, quibus individua differunt. Sic oritur idea abstracta sive universalis. Actus mentis naturam abstractam repraesentans est idea universalis subiectiva, obiectum vero abstractum est idea universalis obiectiva et simpliciter τὸ „universale" dicitur.

Itaque universale definitur: *aliquid, quod de multis praedicari potest idque univoce et divisim.* Quae definitio paucis exponenda est.

Universale habet aptitudinem, ut *de multis praedicari possit* individuis vel inferioribus seu ut sit „communicabile". Natura enim humana, si abstracte concipitur, certe in multis et omnibus individuis humanis inesse potest et reapse inest ideoque consequenter de multis praedicari potest. Naturae individuali Gaii id non competit; est enim in uno tantum, quia non natura humana abstracta et indeterminata, sed talis natura determinata est. Natura abstracta hanc praedicabilitatem habet, *quia abstracta* est. Propterea enim, quia in statu abstractionis omnibus differentiis individualibus caret, neque unius Gaii neque unius Antonii natura est, sed aeque de omnibus hominibus praedicari potest.

Dicitur universale *univoce et divisim* de multis praedicari. Univoce praedicari dicitur, ut excludantur notiones

analogae, v. g. ens, quae, quia non eodem modo de inferioribus praedicantur (ut de ente in ontologia exponitur), universales dici non solent. Divisim praedicari dicitur seu ita, ut multiplicetur; sic essentia divina excluditur, quae tribus personis quidem inest, sed non ita, ut ipsa in iis multiplicetur sive „dividatur" (non sunt tres ‚Dii'). Universalis autem natura in multis individuis multiplicatur (sunt multi ‚homines'), quippe quae singula suam propriam naturam individualem habent.

Itaque universale opponitur individuo. Individuum est unum, quod non ita aptum est, ut de multis praedicetur.

174 Universale modo descriptum, quippe quod in multis inesse de iisque praedicari potest, nonnumquam *universale in essendo et praedicando* dicitur, ut distinguatur ab aliis „universalibus", e. g. ab „universali in causando", qualis est Deus, omnium causa ultima, et ab „universali in significando" seu vocabulo universali.

Quod abstractionem naturae universalis ab individuis attinet, *S. Thomas* et schola thomistica docent, quando res individualis sensibus percipienda proponatur, intellectum statim notas communes abstrahere itaque ideam universalem formare (ens, rotundum), deinde individuum ut tale apprehendere (tale ens, hoc rotundum). *Suarez* cum aliis dicit intellectum prius individua apprehendere, deinde comparatione instituta id abstrahere, quod commune inveniat. Haec quaestio originem ideae universalis spectat et mere psychologica est, ideo hoc loco praetermitti potest.[1])

175 2. Porro in universali diligenter duo distinguenda sunt: *id, quod concipitur*, e. g. homo sive natura humana, et *modus, quo* id concipitur, scilicet abstractio eius ab omni individualitate seu differentia inferiorum; illud positivum est, hoc quaedam carentia est. Natura, *quae* abstracte concipitur, non per se ipsam, quia talis natura est, universalitatem habet, sed propter modum, quo concipitur, seu quia abstracta est. ‚Homo' enim non propterea, quia *homo* est seu ex his notis constat, aptitudinem habet, ut de multis praedicetur; aliter haec universalitas omni competeret, quod has notas habet, ergo etiam Platoni, Augustino et omnibus individuis humanis. Sed hanc aptitudinem habet, quia

[1]) Confer *Psycholog.*[5] n. 245.

abstracte concipitur. Ideo, si natura *ut universalis* accipitur, spectanda est ut abstracta.

Res exemplo illustretur. In homine *libero* (non ligato) distingui potest ipse homo et carentia vinculorum. Homo non se ipso, quia homo est, liber est; posset enim homo esse et non esse liber; si ut homo liber esset, etiam in vincula coniectus liber esset, quia maneret homo. Sed liber est, quia hic et nunc carentiam vinculorum habet. Similiter homo est universalis, non quia homo, sed quia abstractus est.

176 **Universale directum et reflexum.** Id, quod abstracte concipitur et quod universalitatem habet, saepe *universale directum* vocatur, idem autem ut abstractum seu ut universale spectatum universale *reflexum* dicitur.

Denominationes petitae sunt a duobus actibus, ab uno, qui naturam communem a differentiis abstrahit, sed nondum reflexe cognoscit se abstractionem fecisse, altero reflectente, qui cognoscit abstractionem factam esse. Ille directus, alter reflexus vocatur. Natura, *quae* universalis vel abstracta est, actu directo cognoscitur, sed, si quis eam *ut* universalem vel abstractam cognoscere velit, actus novus reflexus requiritur. E. g. si concipio ‚stella', hic primus seu directus actus abstractionem exercet, qua omnes differentias et individualitates stellarum omittit; sed nondum cognoscit se abstractionem exercere, ideoque obiectum huius actus est id, quod abstracte concipitur. In hunc actum novo actu reflectens cognoscere possum me antea abstractionem fecisse; ideoque obiectum huius actus reflexi est natura ut abstracta.

177 II. **Historia quaestionis.** De ideis universalibus, quippe quae una ex parte quasi nervus sunt et medulla cogitationis humanae, altera ex parte aliqua obscuritate non carent, a tempore antiquo usque adhuc vehementer disputatum est.

1. *Antiquo tempore Plato,* Socratem magistrum sequens, adversus Sophistas firmiter asseruit, in quo Aristoteles ei consentit, esse veram rerum scientiam, cognitionem nempe intellectualem immutabili et aeterno valore praeditam; huius obiectum praecipuum esse similiter immutabile et aeternum, videlicet universales essentias, quas ideas appellat. Has essentias autem putat, utpote aeternas et immutabiles, ex-

sistere separatas a rebus sensibilibus individualibus in ordine quodam superiore intelligibili, res vero sensibiles esse earum imitationes individuales; non acsi essentias universales in se recipiant, quae separatae maneant, sed quatenus sint earum multiplices imitationes ac participationes. Modum autem, quo hoc fiat, non clare explicat.

Aristoteles in hac re Platoni contradicit, negans essentias universales extra res individuales esse. Eas in rebus individualibus inexsistere et in iis multiplicari ac dividi docet. Principium autem sive rationem huius multiplicationis essentiae universalis materiam esse ait; quatenus eadem essentia sive forma cum varia materia divisa sive cum materiae partibus uniatur, eam multiplicari ac dividi. „Manifestum est", inquit, „non esse opus [ad mentem Platonis] ideam facere exemplar . ., sed sufficere, ut generans efficiat et causet formam in materia. Totum autem, nempe talis forma in talibus carnibus et ossibus, est Kallias et Socrates, et diversum est per materiam . ., idem vero secundum formam."[1]) Sed Aristoteles in hac re non semper clare loquitur, interdum ita, quasi forma, quamquam in diversis individuis est, tamen physice una et improducta et aeterna maneat.

2. *Controversiae medii aevi* originem petunt ex opere 178
Aristotelis „categoriae", de quo *Porphyrius* († 304) celebrem et in scholis aevi medii frequentissime adhibitum commentarium scripsit et pariter *Boethius* († ca. 524) commentarium edidit. Porphyrius inquirit, utrum genera et species (universalia) tantum in mente sint, an etiam et quomodo in rebus exsistant; similiter Boethius quaerit, sintne categoriae res an voces tantum seu nomina. Sic orta est ex s. 11 disputatio, sintne categoriae sive universalia in rebus necne. Qui illud defendebant, realistae, qui alterum asserebant, generatim nominalistae sive nominales vocabantur. In utraque autem parte iterum diversae formae inveniuntur, extremae et moderatae.

[1]) Met. VII 8 (1034 a). Cf. IX 7 (1049 a 23); X 9 (1058 b 8).

Nominalismus extremus asserit, nos omnino non habere conceptus universales, sed tantum voces ac nomina universalia, quae multis rebus similibus tribuantur. Hanc doctrinam protulit (testibus Abaelardo et Joanne de Salisbury) *Roscelinus* († ca. 1124). Similem sententiam *Abaelardus* († 1142) initio tenuisse videtur, sed eam postea mutavit.

Realismum extremum proposuit *Guil. de Champeaux* († 1121) docens (teste Abaelardo) universalia formaliter spectata in rebus esse. „Erat autem in ea sententia," inquit Abaelardus, „de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret individuis, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas."[1])

Post medium saec. 12 *realismus moderatus,* quem S. Thomas docebat quemque thesis sequens defendit, communis effectus est et communis mansit.

Sed s. 14 iterum nominalismus revixit, non quidem extremus ille, sed quidam moderatior, qui *conceptualismus* dictus est. Qui concedit quidem nos habere ideas universales, sed valorem obiectivum iis denegat. Praecipuus eius defensor fuit *Guil. de Ockham* († circ. 1347), qui primus fere ex eo scepticas consecutiones inferre coepit. Post eum tales doctrinae nominalisticae latius propagatae sunt multorumque mentes infecerunt et in modernum empirismum et sensismum desierunt.

Sed realismus moderatus in scholis catholicis semper sententia multo communior fuit et ex longo tempore simpliciter communis est.

179 3. *In philosophia moderna* potissimum duplex error invenitur, unus cum nominalismo extremo concordans, quem sensistae tenent, alter conceptualismo propinquus.

a) *Sensistae* inter actus intellectus et sensus tantum discrimen accidentale concedunt. Functiones intellectuales aiunt solum esse sensationes reproductas varieque asso-

[1]) Historia calamitatum 2.

ciatas et accidentaliter transformatas, instar phantasmatum. Idcirco ideas universales negant.

b) *Kant* aliique concedunt nos ideas universales habere, sed eas repraesentationes mere subiectivas habent valore obiectivo destitutas.

Supponimus interim nos ideas universales habere, et exordium ducimus a valore obiectivo inquirendo.

§ 2. De valore obiectivo idearum

Th. 25. Ideae universales ita valorem obiectivum habent, ut id, quod concipitur, in ordine rerum sit, non autem modus, quo concipitur (1. p.). Ideo universale formaliter spectatum in mente est, attamen cum fundamento in re (2. p.).

Declar. Iam demonstravimus ideas intellectuales ge- 180
neratim valorem obiectivum habere. Sed quia ideis universalibus proprium est, ut abstractae sint, et ex hoc earum valor impugnatur, obiectivitas earum specialiter exponenda et defendenda est. Itaque inquirimus, utrum obiecta idearum universalium independenter a mente repraesentante in ordine reali sint necne.

Thesis antiquam sententiam enuntiat, quae non omnibus quidem, attamen plerisque scholasticis communis fuit. Eam *S. Thomas* his verbis proponit: „Cum dicitur universale abstractum, duo intelleguntur, scilicet ipsa natura rei et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intellegi vel abstrahi vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus; sed hoc ipsum, quod est intellegi vel abstrahi vel intentio universalitatis, est in intellectu . . Humanitas, quae intellegitur, non est nisi in hoc vel in illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus condicionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu."[1])

Haec doctrina *realismus moderatus* nominatur, utpote medium tenens inter nominalismum (conceptualismum) et

[1]) 1 q. 85 a. 2 ad 2 et alibi.

realismum immoderatum, quorum prior valorem obiectivum negat, posterior exaggerat. Realismus moderatus principium omnino verum profitetur, valorem obiectivum non postulare, ut etiam idem sit modus, quo res a parte rei et quo in intellectu est, sed sufficere, ut *id, quod* concipitur. reale sit.

181 **Demonst. 1. p.** A) *Id, quod* ideis universalibus concipitur, est natura aliqua in se spectata seu notae, quibus constituitur, e. g. ‚homo'. Atqui haec natura certe in ordine reali est. Nam cum veritate de individuis realibus praedicari potest; vere enim dicitur: Gaius est homo, Tiberius est homo, Antonius est homo. Ergo id, quod ideis universalibus concipitur, in ordine reali est. Hoc autem sufficit, ut valorem obiectivum habeant, quia revera obiectum repraesentatum independenter a repraesentatione in ordine reali est. Aliis verbis: ideae universales ita valorem obiectivum habent, ut id, quod concipitur, in ordine rerum sit.

B) *Modus*, quo obiectum in idea universali concipitur, in eo consistit, quod obiectum ab omni individualitate abstractum est. Atqui abstractio obiecto in ordine reali non inest, quia ibi nulla res sine individualitate est, sed omnia sunt individua. Profecto res exsistens non potest (sicut natura in abstractione mentis exsistens) ita indeterminata esse, ut multis diversis (inferioribus) simul identica esse itaque multiplicari possit; alioquin in ordine reali unum multa, idem multipliciter diversum evadere posset, idem homo exsistens posset vere et realiter nunc Gaius, postea Tiberius, deinceps Gallus vel omnes simul esse. Id sane principio contradictionis repugnat. Ergo modus, quo in idea universali obiectum concipitur, in ordine reali non est.

Id autem non obstat valori obiectivo. „Cum ergo dicitur", ait *S. Thomas,* „quod intellectus est falsus, qui intellegit rem aliter quam sit, verum est, si ly *aliter* referatur ad rem intellectam; tunc enim intellectus est falsus, quando intellegit rem esse aliter quam sit . . Non est autem verum, quod proponitur, si ly *aliter* accipiatur ex parte intellegentis;

est enim absque falsitate, ut alius sit modus intellegentis in intellegendo quam modus rei in essendo."[1])

Aliter A) et B). Sicut imago, in qua tantum hominis caput et pectus depicta sunt, valorem obiectivum habet, quia ea, *quae* depicta sunt (caput, pectus), in ordine reali sunt, licet modus, *quo* sunt depicta (carentia reliqui corporis), non sit, ita idea universalis valorem obiectivum habet, quia id, quod exhibet, reale est (notae hominis), licet modus (carentia individualitatis) non sit in ordine rerum.

Demonst. 2. p. A) Universale formaliter spectatum est 182
natura apta, ut in multis insit et in iis multiplicetur; seu est natura spectata ut abstracta. Atqui natura spectata ut abstracta non est in ordine rerum, ut modo demonstratum est, quia ibi omnes res individua sunt. Sed statum abstractionis et universalitatis tantum ut obiectum mentis seu propterea habet, quia *concipitur* sine differentiis. Ergo universale formaliter spectatum in mente est.

B) Universale habet fundamentum in re, si ipsi aliquid reale respondet. Atqui respondet aliquid, illud scilicet, *quod* concipitur; id in omnibus individuis exsistit et ratione eius omnia individua inter se similia sunt et sub una notione mente comprehendi possunt. Ergo universale habet fundamentum in re.

Nota. Ut indoles ideae universalis amplius declaretur, 183
haec animadvertenda sunt.

1. Universale de multis tantum *praedicatur secundum id, quod concipitur,* non secundum modum, quo concipitur. Abstractio tantum condicio est, ut natura apta sit, quae de multis praedicetur. Sicut ille, qui nulli vitae statui alligatus est, in quemlibet statum ingredi potest, sed statum non ingreditur ipsa ‚non-alligatio', quippe quae tantum condicio est, ut homo illam aptitudinem habeat, ita in idea universali non abstractio, sed tantum id, quod abstrahitur, praedicatur.

[1]) 1 q. 85 a. 1 ad 1.

2. Distinguendus igitur est in re praesenti ordo logicus et realis. Post abstractionem in ordine logico seu in mentis consideratione habetur *unum* abstractum (‚homo'), in ordine vero reali *multa* individua (homines). Ex his multis mens per abstractionem individualitatum ad illud unum devenit et ex illo uno per additionem individualitatum (contractionem logicam) iterum ad multa logice descendere potest. Hac ratione uni in mente multa a parte rei et multis a parte rei unum in mente *correspondent*. Hoc sensu etiam dici solet: „multa a parte rei sunt unum in mente" et „unum in mente est multa a parte rei". Haec igitur simultanea multorum unitas vel identitas tantummodo *logica* est; significat multis respondere in mente unum conceptum per abstractionem a differentiis ortum.

Dicitur etiam: „a parte rei sunt multa actu et unum in potentia" et: „in mente est unum actu et multa in potentia". Vis huius distinctionis iterum haec est: multa individua a parte rei exsistentia, utpote similia, praebent possibilitatem abstractionis, qua facta deinde in mente unum adest; e contrario natura abstracta una per logicam individualitatum appositionem ad individua multa contrahi potest.

His expositis iam obiectiones, quae fieri possunt, earumque solutio intellegitur.

184 **Obiectiones.** 1. Idea, quae difformis est a rebus, valore obiectivo caret. Atqui idea universalis est difformis, quia res aliter exhibet, ac sunt. — *Resp.* D. mai. si est difformis spectato eo, quod concipitur C. si spectato tantum modo N. Cd. min. et rat. add.

2. Quidquid reale est, individuum est; atqui universale non est individuum; ergo non est reale seu obiectivum. — *Resp.* C. mai. D. min. universale formaliter spectatum seu cum modo abstractionis C. secundum id, quod concipitur Sd. sicut est a parte rei, non est individuum N. sicut est in mente C.

3. Universale dicitur unum in multis; atqui repugnat unum in multis; ergo universale repugnat proinde neque in mente esse potest. — *Resp.* D. mai. est logice unum in multis seu unum in mente et multa a parte rei C. realiter unum et multa N. Cd. min.

4. Universale est obiectum cognitionis et scientiae; atqui obiectum est ante cognitionem in ordine rerum; ergo universale est ante cognitionem in ordine rerum. — *Resp.* D. mai. secundum id, quod concipitur C. secundum modum Sd. est obiectum cognitionis directae N. reflexae, i. e. si quis velit reflexionem instituere, poterit videre se abstractionem fecisse C. C. min. pariter D. cons.

5. In multis individuis humanis eadem natura exsistit; ergo universale realiter exsistit. — *Resp.* D. ant. independenter seu antecedenter ad mentis abstractionem N. dependenter seu consequenter Sd. i. e. abstractione facta multis individuis realibus una natura abstracta in mente respondet C. realiter unum et multa sunt N. Seu *aliter:* D. ant. in multis individuis exsistit eadem natura actu N. in potentia, si mentis operatio accedit Sd. logice eadem C. realiter N.

6. Gaius et Tiberius non differunt a parte rei essentialiter; 185
ergo realiter eandem naturam habent, quae proinde a parte rei universalis est. — *Resp.* D. ant. non in essentia individuali N. non in specifica Sd. et haec „unitas specifica" est logica et post abstractionem habetur C. est realis, ab abstractione independens N.

7. A parte rei, independenter ab abstractione, homines sunt similes; atqui similia habent eandem naturam; ergo a parte rei, independenter ab abstractione, homines eandem naturam habent. — *Resp.* C. mai. D. min. similia habent eandem naturam realiter N. logice, supposita abstractione C. (seu: actu N. in potentia i. e. post abstractionem in mente C.).

8. Universale potest praedicari de multis; atqui quod praedicari potest de multis, realiter inest in multis; ergo universale realiter inest in multis. — *Resp.* D. mai. praedicatur secundum id, quod concipitur C. secundum modum i. e. praedicatur universale formale N. Tr. min. D. cons. inest secundum id, quod concipitur C. secundum modum seu inest universale formale N.

Th. 26. Contra nominalismum veterem et recentem sensismum tenendum est nos habere ideas universales ex vera abstractione ortas (1. p.), quae abstractio immerito reicitur (2. p.).

Declar. 1. Thesis opponitur defensoribus nominalismi 186
extremi et sensismi, qui asserunt nos ideas universales non habere, sed sola nomina universalitate praedita esse, quatenus ad varia individua designanda adhibeantur.

Hi omnes, cum ideae universales facile reflexionem effugiant, fere sola phantasmata, utpote vividiora, in se attendere solent, quae utique universalitate carent. Et ple-

rumque, quia vident ideas per experientiam acquiri, impossibile esse affirmant, ut alias repraesentationes habeamus, quam quae et quales e sensibus relictae sunt, nempe individuales. Cum nihilominus negare nequeant nos vocabula et propositiones habere, quae de multis rebus sine discrimine enuntiemus, variis modis vitiosis hanc universalitatem explicare sive construere conantur.

187 a) Multi rem ita explicant. In *re singulari* aliquae determinationes prae aliis, quae tamen non penitus omittuntur, magis attenduntur et ita haec res singularis tanquam omnium similium vicaria consideratur. Huic se adiungit vox, quae hanc rem et alias similes significat; nunc res et vox coniunctae melius iam hoc vicario munere funguntur. Ita fere *Berkeley* docet, qui aliis in hac re viam ostendit: „Possum manum," inquit, „oculum, nasum, singula seorsum abstracte et separatim a reliquis partibus corporis considerare .. Confiteor me posse abstrahere uno modo, e. g. quando aliquas particulares partes vel qualitates separatim ab aliis considero, quibuscum quidem in aliquo obiecto coniunctae sunt, sine quibus tamen realiter exsistere possunt. [Abstractio late dicta.] Attamen nego me posse illas qualitates ab invicem abstrahere seu separatim concipere, quae non ita separatae exsistere possunt, sive me posse notionem generalem formare." [Abstractio proprie dicta, de qua agimus.] „Puto nos agnoscere debere, ideam, quae in se spectata particularis sit, universalem eo fieri, quod adhibeatur ad omnes alias ideas particulares eodem modo repraesentantas."[1]) Eadem fere docent *Hume, J. St. Mill, Spencer*. Similiter *Wundt* loquitur: „Quando notio trianguli nobis repraesentanda est, imaginamur triangulum individuale simulque mente statuimus nos tantum tria latera tresque angulos respicere velle .. Quia haec elementa praecipua maiore cum

[1]) „I can consider the hand, the eye, the nose, each by itself abstracted or separated from the rest of the body ... I own myself able to abstract in one sense, as when I consider some particular parts or qualities separated from others, with which, though they are united in some object, yet it is possible they may really exist without them. But I deny that I can abstract from one another, or conceive separately, those qualities, which it is impossible should exist so separated; or that I can frame a general notion." „I believe we shall acknowledge that an idea, which, considered in itself, is particular, becomes general by being made to represent or stand for all other particular ideas of the same sort." A Treatise concerning the Principles of Human Knowledge (1710). Introd. 10.

intensitate repraesentantur, reliquae partes repraesentatae in mente obscurantur [sed non omnino disparent]."[1])

b) Alii ideam universalem concipiunt *collectionem repraesentationum individualium*, in qua repraesentationes singulae concursu et confluentia mutuas differentias suas obscurent. Hac ratione secundum *Herbartianos* idea universalis series repraesentationum rerum similium est, quatenus per mutuum concursum, „in quo notarum similitudo praevalet diversitati", „ad quoddam schema indeterminatum redacta est"; „notae diversae contrariando invicem obscurant, attamen non penitus a notis similibus separantur."[2]) „‚Stella', ‚canis', ‚homo'", aiunt *alii*, „sunt ideae, quibus nulla realitas respondet"; eo oriuntur, quod „imagines similes congrediuntur et confluunt suppressis iis imaginum differentiis, quae huic confluentiae obstant."[3]) Repraesentatio universalis est „peculiaris confluentia repraesentationum individualium", peculiaris „associativa coniunctio", in qua „repraesentatio individualis tantum parvam vim et determinationem habet".[4])

2. *Abstractio*, quam in 2. p. defendimus, est operatio 188
mentis, qua in aliqua re consideranda unum concipit sine

[1]) „Wenn wir uns den Begriff eines Dreieckes vergegenwärtigen sollen, stellen wir uns ein individuelles Dreieck vor, verbinden aber damit den Gedanken, daß wir nur auf die drei Seiten und die drei Winkel Rücksicht nehmen wollen . . Da diese herrschenden Elemente mit größerer Intensität vorgestellt werden, muß die übrige Vorstellung in den dunklen Hintergrund des Bewußtseins treten." Logik[2] I 46 ss. Idem in Logik[3] I (1906) 45–51. — [2]) „Die Hemmungen unter den verschiedenartigen Bestimmungen ist dann in Verdunkelung derselben, wie wohl nicht in gänzliche Abtrennung vom Gleichartigen übergegangen." Herbart (Psychol.). — [3]) *Vaihinger:* „Also ‚Stern', ‚Hund', ‚Mensch' sind Vorstellungen. denen keine Wirklichkeit entspricht." „Ähnliche Bilder verflechten sich und verschmelzen durch Unterdrückung derjenigen besonderen Elemente der Bilder, welche dieser Verschmelzung entgegenstehen." Philosophie des Als-ob[10] (1927) 401 400. — [4]) *Th. Ziehen*: Die Allgemeinvorstellung ist „eine eigenartige Verschmelzung der Einzelvorstellungen"; „in der Allgemeinvorstellung ist die einzelne Individualvorstellung nur mit sehr geringer Energie und Bestimmtheit vertreten"; „die Allgemeinvorstellung der Rose umfaßt nicht etwa alle Rosen überhaupt, sondern nur alle diejenigen Einzelrosen, die ich selbst gesehen habe." „Alle diese Allgemeinvorstellungen sind ausschließlich Abkömmlinge unserer Individualvorstellungen und somit unserer Empfinduugen. Sie unterscheiden sich also in dieser Beziehung durchaus nicht von den übrigen Vorstellungen." Leitfaden d. physol. Psychologie[11] (1920) 294–8.

altero, quocum illud identicum est, e. g. in Caesare militem sine scriptore, hominem sine individualitate. Quatenus sic natura communis ab individualitate abstrahitur, idea universalis efficitur. Tali igitur abstractione negata omnes ideae universales e medio tolluntur.

Veteres scholastici eam appellarunt praecisionem obiectivam et communiter admiserunt.[1]) Sed praeter veteres quosdam praesertim sensistae hodierni eam reiciunt.

189 **Demonst. 1. p.** 1. Habemus ideas, quarum obiecta de multis inferioribus cum veritate praedicari possunt. Ergo habemus ideas universales vera abstractione a differentiis inferiorum ortas. Si enim idearum obiecta non ita a differentiis abstracta essent, sed vel unam vel omnes includerent, de multis identice praedicari non possent. — Dicimus ideas universales „ex vera abstractione ortas", quia non sumus contenti notiones universales illas simulatas defendere, de quibus supra n. 187 sermo factus est.

Antecedens ostendunt a) *vocabula communia.* Ipsis enim adversariis concedentibus adhibemus idem vocabulum ad individua varia designanda idque ita, ut nobis conscii simus nos vocabulum eodem sensu de unoquoque individuo adhibere. Eodem sensu vocamus Caesarem et Pompeium hominem, Rhenum et Danubium flumen. Vocabulum igitur significat aliquid, quod idem de multis cum veritate praedicari potest.

Alio modo. Termini communes vel aliquod individuum vel individuorum collectionem vel aliquod abstractum significant. Atqui non primum, quia non possent de alio individuo praedicari; non alterum, quia de individuo singulari praedicari non possent. Ergo tertium.

b) Statuuntur *definitiones et principia generalia*, quae eodem sensu de multis rebus enuntiantur et verificantur,

[1]) Tantum aliqui s. 17 et 18 eam impugnarunt solum „praecisionem formalem" admittentes, qua mens unum concipit aliud non simpliciter omittendo, sed solum minus clare apprehendendo. Attamen haec non est vera abstractio. Cf. Ontol.[5] n. 190.

e. g. homo liber est, filius oboedire debet parentibus. Ergo concipimus obiecta (homo, liber, filius, parentes), quae de multis cum veritate praedicari possunt.

2. *Adversarii* locutionibus suis ostendunt etiam sibi ipsis continuo obiecta abstracta obversari, etsi ea negent. Loquuntur enim de „elementis praecipuis", „quae sola considerentur", dum „alia obscurentur"; dicunt res esse „similes", „eiusdem generis", unam esse „vicariam aliarum similium". Iam vero haec dici non possunt, nisi in concipienda re unam notam ab aliis distinguam, proinde sine illis concipiam, ergo abstractionem exerceam.

Demonst. 2. p. Abstractio notionis universalis a differen- 190
tiis nullam continet repugnantiam. Ergo immerito a plerisque modernis reicitur. Repugnantia aut repetenda esset ex parte obiecti aut ex parte intellectus. Sed ex neutra parte repugnantia adest.

a) *Non ex parti obiecti* repugnantia adest. Notio communis et differentiae non sunt intrinsecus sive comprehensione identicae e. g. animal et rationale, ut non possint separatim apprehendi; varias enim eiusdem rei perfectiones exhibent. Neque obstat, quod realiter identicae sunt; non enim asseritur notiones per mentis abstractionem distinctas etiam in ordine reali distinctas esse.

b) Neque *ex parte intellectus* repugnantia abstractionis ostendi potest. Si intellectus ideas per sensus acquirit, non sequitur ideas tantummodo reproductiones sensationum esse et obiecta aeque ut singularia exhibere sicut sensationes. Immerito enim supponitur intellectum eiusdem naturae esse sicut sensum neque in repraesentando sensum superare posse.

c) Abstractio, quam defendimus, est abstractio proprie dicta. Praeter eam est alia, improprie dicta, quae non est abstractio unius notae ab alia ei realiter identica, sed separatio formae a subiecto sive partis a toto, quam abs-

tractionem etiam sensus exercet, e. g. percipiens faciem sine corpore vel colorem sine sono.

Th. 27. Ex dictis consequitur etiam conceptualismi et realismi extremi doctrinas erroneas esse, et illam quidem, quod immerito ideis universalibus valorem obiectivum deneget (1. p.), hanc vero, quod asserat universale formaliter in ordine reali esse (2. p.).

191 **Declar.** *Conceptualismus* vocatur doctrina ab aliquibus philosphis s. 14 et deinceps defensa, quae asserit nos ideas universales mente formare, sed eas valore obiectivo carere. Aetate recentiore maxime *Kant* talia docet. Kant enim, aliter ac sensistae, discrimen essentiale inter intellectum et sensum agnoscit et exsistentiam idearum universalium admittit; sed eas dicit formas nobis innatas („categorias a priori") mereque subiectivas esse.

Realismus extremus omnis doctrina vocari potest, quae realitatem universalium ultra verum exaggerat. Huc spectat iam sententia *Platonis,* qui universales naturas ab individuis separatas exsistere arbitratur. Ad Platonem in hac re prope accedere videntur *phaenomenologi* recentes, qui docent nos essentiarum cognitionem intuitivam habere, et essentias interdum a rebus individualibus quasi solutas et in se subsistentes concipiunt.

192 **Demonst. 1. p.** Supra demonstratum est ideas universales habere valorem obiectivum, quatenus id, quod iis concipiatur, in ordine rerum sit; de multis enim individuis cum veritate praedicari potest. Ergo conceptualismus doctrina erronea est.

Demonst. 2. p. Pariter iam ostensum est universale formaliter spectatum tantum in mente esse (cum fundamento in re), quia modus abstractionis, a quo natura universalitatem accipit, tantum in mente esse potest. Ergo realismus extremus falso asserit universale formaliter spectatum in ordine reali esse, sive cum Platone dicit essentias abstractas

ut tales realiter exsistere, sive cum aliis affirmat eandem naturam realiter in multis diversis individuis esse.

Art. 2. De principiis

§ 1. De principiis generatim

Ex ideis universalibus cogitatio mentis ad iudicia ge- 193
neralia procedit, quae, si universaliora et multorum aliorum fundamentum sunt, principia vocantur. Quia principia mentem in novis veritatibus assequendis ducunt, sub respectu criteriologico magni momenti sunt.[1])

1. *Principium* generatim „nihil aliud significat quam id, a quo aliquid procedit".[2]) Si quid ab alio in ordine reali procedit, principium reale habetur; sic causa principium effectus est. Si quid ab alio logice tantum procedit, principium logicum habetur; tale est principium causalitatis, quo alia demonstrantur. Itaque *principia logica,* de quibus nunc agimus, sunt iudicia universalia, a quibus alia iudicia sive veritates in cogitando procedunt.

Hoc autem duplici modo fieri potest itaque principia logica duplicis generis distingui possunt: *Principia ex quibus* seu principia *materialia* sunt illa, ex quibus tamquam praemissis aliae veritates concluduntur, velut si ex principio causalitatis infertur mundum a causa superiore conditum esse. Sed veritas particularis, quae hac ratione ex principio universali concluditur, non ex hoc solo principio, sed ex eo una cum alia praemissa concluditur, velut ita: quod incipit esse, habet causam; atqui mundus aliquando incepit esse; ergo habet causam. Non enim principium generale solum, sed utraque praemissa simul sumpta conclusionem implicite includit. *Principia secundum quae* sive *formalia* illa dicuntur, secundum quae in cogitando procedimus; quae non sunt praemissae, ex quibus aliquid deducitur, sed leges, quibus in cogitando regimur, velut regulae syllogismorum.

---

[1]) Cf. etiam Logicam[5] n. 285. — [2]) 1 q. 33 a. 1.

Porro principia vel *immediata* vel *mediata* sunt. Principia mediata demonstrantur ex aliis. Sed cum demonstrationes non in infinitum continuari possint, aliquando ad principia immediata pervenire oportet, quae immediate per se ipsa evidentia sunt.

Sub alio respectu principia *analytica* et *synthetica* distinguuntur. Principium *analyticum* illud est, in quo identitas vel diversitas asserta ex sola analysi subiecti et praedicati cognoscitur, e. g. ‚pars minor est toto'. ‚linea recta est brevissima duorum punctorum coniunctio'. Ideo iudicium analyticum semper veritatem necessariam enuntiat, quia id affirmat, quod ad essentiam subiecti pertinet vel cum eo necessario conexum est. Principium *syntheticum* illud est, in quo nexus assertus non ex analysi notionum, sed per experientiam (sive fidem) cognoscitur. Obiectum eius contingens vel saltem tale est, ut *nos* illud tamquam necessario cum essentiis rerum conexum non cognoscamus, e. g. ‚lux per prisma missa in septem colores dividitur' (vel ‚Deus in tribus personis subsistit').

194 2. Iudicia analytica universaliora generalissimas essentias et mutuas relationes rerum exhibent. Proinde *leges essendi* enuntiant, quibus nimirum omnes res conformes esse debent. Leges essendi simul *leges cogitandi* sunt, secundum quas intellectus de omnibus iudicare debet. E. g. quia res tales *sunt,* quales principium contradictionis dicit, ideo intellectus de rebus *cogitare* debet, sicut illud principium enuntiat.

Intellectus principia analytica universalissima plerumque facillime et perfecta cum evidentia cognoscit, ut quasi innata esse videantur. Quae intellectus dispositio a veteribus *habitus principiorum* vocatur. Nihilominus, etiamsi veritas principiorum analyticorum ex analysi notionum et quidem facile reperitur, tamen scholastici cum Aristotele affirmant, ut acquiratur evidens cognitio principiorum, si maxime obvia excipiantur, praecedere debere *experientiam* de uno alterove individuo vel eventu particulari, non quidem tam-

quam motivum affirmationis, sed ut in exemplo vel facto concreto *notiones* earumque relatio clare apprehendantur, qua relatione perspecta etiam veritas principii perspicitur; „ut intellectus manuducatur", inquit Suarez, „ad intellegendas exacte rationes terminorum, quibus intellectis ipse videt clare immediatam conexionem eorum inter se, quae est unica ratio assentiendi illis".[1]) Idcirco etiam ad intellegenda principia geometrica figurae oculis subici solent.

*§ 2. De principiis contradictionis et rationis sufficientis

Haec duo sub respectu criteriologico inter alia principia eminent, ut propterea paulo plura de iis dicenda sint.

I. **De principio contradictionis.** Principium contradictionis 195* enuntiari solet: quod est, non potest non esse, vel: idem non potest simul esse et non esse. (Simile est principium identitatis: quod est, est. Sed nihil dicit, quod non clarius et fortius principio contradictionis enuntietur.)

Principium contradictionis maximam habet universalitatem, utpote ex universalissima notione entis derivatum, et immediate evidens, immo vix non omnium evidentissimum est. Aristoteles ei primum locum tribuit: „hoc est omnium principium certissimum".[2]) Eadem est sententia scholasticorum.

Hoc principium in ontologia tractatur, quatenus suprema veritas ordinis metaphysici et suprema lex essendi est, in critica autem, quatenus est suprema regula cogitandi et fundamentum certitudinis. Iam inquirendum est, quo sensu hoc dici possit.

***Th. 28. Principium contradictionis merito primum cognitionis principium dicitur, non quod omnis veritas ex eo deduci possit (1. p.), sed quia omnis certitudinis fundamentum est (2. p.).**

Demonst. 1. p. Si ex principio contradictionis omnis ve- 196* ritas deduci posset, omnis veritas in eo contineretur, e. g.

[1]) „Rein formales Denken". — [2]) Met. III 3 (1005 b 19).

etiam Londinum esse caput Angliae. Atqui ita non est. Principium enim contradictionis enuntiat tantum generalissimam veritatem de ente abstractissimo, nihil vero de determinatis entibus dicit. Ad specialia entia applicatum sensum tantummodo hypotheticum habet: si quid est hoc, repugnat esse oppositum. Ergo.

*197 **Demonst. 2. p.** Principium contradictionis est fundamentum omnis certitudinis, si certitudine huius principii vacillante omne iudicium dubium fit. Atqui ita est. Si enim fieri posset, ut, quod est, posset etiam non esse, semper etiam oppositum eius, quod affirmatur, esse posset. Ergo. — „Super hoc principio omnia alia fundantur."[1])

Aliter. Principium contradictionis est generalis formula, quam omne iudicium certum tamquam typum generalem imitatur. Proinde illius certitudine vacillante omnis alia periret. Omne enim iudicium identitatem inter subiectum et praedicatum affirmat, proinde, quia praedicatum idem est ac subiectum, identitatem subiecti secum ipso. Quam identitatem iudicium certum ut necessariam statuit, aequivalenter saltem, quia cum firmitate eam asserit. Quae necessaria identitas rei secum ipsa clarius per necessariam repugnantiam rei cum opposito exprimitur: subiectum non potest non esse id, quod est. *Exemplo* illustretur: Iudicium firmiter asserens Romanum Pontificem S. Petri successorem esse identitatem eamque necessariam statuit inter personam, prout Romanus Pontifex est, secum ipsa, prout tamquam Petri successor concipitur. Et quia cum firmitate eam asserit, aequivalenter dicit Romanum Pontificem necessario cum successore S. Petri identicum esse, seu non posse non esse id, quod sit. Quae relatio in omni iudicio, saltem certo, eadem semper est, ideoque notionibus abstractissimis entis et non-entis exprimi potest: quod est, nequit non esse. Quo iam habetur formula generalis et indeterminata omnis iudicii certi.

---

[1]) 1, 2 q. 94 a 2.

Sed principium contradictionis fundamentum *obiectivum* certitudinis est. Fundamentum enim certitudinis generatim id est, in quo certitudo nititur, ut eo vacillante omnis certitudo dubia evadat. Hoc autem aliquid obiectivum vel subiectivum esse potest. Fundamentum subiectivum est aptitudo intellectus ad verum cognoscendum; de quo initio criticae egimus. Fundamentum obiectivum est aliqua veritas obiectiva. Tale fundamentum et quidem omnis certitudinis est principium, de quo agimus.

198* **Obiectiones.** 1. Etiam exsistentia propria videtur fundamentum omnis certitudinis esse, quia, si non adesset, nulla haberetur certitudo. — *Resp.* D. est fundamentum obiectivum N. subiectivum Sd. est ratio, cur assensus sit vel esse possit C. ratio, cur sit *certus* et non fiat dubius N. De hoc tantum fundamento quaeritur.

2. Ergo principium contradictionis videtur esse criterium et motivum ultimum certitudinis. Nam est expressio necessitatis obiectivae, quae nos postremo ad certitudinem movet. — *Resp.* N. ass. Ad rat. D. est expressio necessitatis obiectivae abstractae C. illius determinatae, de qua in singulis iudiciis quaeritur N.

199* II. **De principio rationis sufficientis.** Etiam hoc principium universalissima veritas et lex essendi ordinis metaphysici est. Sub hoc respectu in ontologia tractatur. Simul instrumentum praecipuum est ad novas veritates deducendas et sub hoc respectu in critica commemoratur.

1. *Quid dicat.* Principium rationis sufficientis enuntiatur: nihil est sine ratione sufficienti. Ratio autem dicitur omne id, quo aliqua res est vel fit vel vera esse cognoscitur, quo igitur „fundatur". Duplex autem ratio distinguenda est, realis et logica. Et de utraque principium loquitur.

a) *Ratio logica* est illud cognitum, quo aliquid cognoscitur verum, velut praemissae in ratiocinio. Manifestum est omne verum habere talem rationem logicam, quia aut per se ipsum immediate perspicitur aut ex praemissis sequitur.

b) *Ratio realis* est omne, quo aliquid est vel fit. Sic compositio hominis est ratio, cur morte dissolvi possit, et causa est ratio, cur effectus fiat.

Pariter manifestum est principium, quatenus de hac ratione reali enuntiatur. Nam aut res necessario est aut contingenter est sive fit. Si necessario i. e. ex essentia est hoc vel illud, essentia est huius ratio; e. g. essentia humana ratio mortalitatis est. Sin autem res contingenter talis est vel si fit, e. g. si anima humana incipit esse, ratio externa requiritur, nempe causa producens. Nam si incipiens non per aliud inciperet, a se ipso esse inciperet, ut in inceptione esse ad ipsum, ad essentiam eius pertineret; sic autem oporteret iam antea esse et non incipere. Aliis verbis: repugnat, ut idem ens modo tale sit, ut ex se habeat exsistentiam, modo non tale sit.

*200 2. *Momentum* criteriologicum principii in eo situm est, quod inter omnia praecipuum instrumentum est ad novas veritates inferendas. Id maxime elucet in principio causalitatis, quod ex principio rationis sequitur; quo in scientiis et vita vulgari perpetuo utimur ad vires naturae rerumque causas inveniendas et in quo maxime fundamenta ordinis moralis et religiosi nituntur, ut exsistentia animae ordinisque supermundani, imputabilitatis moralis, meritum et poena.

Elucet, principium rationis non solum principium formale, sed maxime materiale esse, ex quo novae veritates deducantur.

*Art. 3. De ratiocinatione

*201 Cum inter omnes constet maximam copiam cognitionum neque soli experientiae neque immediatae conceptuum comparationi ortum debere, sed ex aliis iudiciis per ratiocinationem illatas esse, iam paucis ostendendum est, ratiocinationem legitimum fontem novarum cognitionum esse. Id ex iis consequitur, quae in logica de ratiocinio et argumentatione exponuntur; quae igitur summatim in memoriam revocamus.

Ratiocinatio sive argumentatio non plane idem est ac ratiocinium sive syllogismus. Ratiocinatio plerumque ex compluribus ratiociniis componitur. Scimus ratiocinationis

varia genera esse; talia sunt argumentatio analogiae, hypothesis, calculus probabilitatis et alia, quae tantum probabilem conclusionem afferunt. Ratiocinationes, quae certitudinem sibi vindicant, potissimum in deductionem et inductionem dividi solent.

De deductione. Deductio ex veritate universaliore veri- 202*
tatem particularem infert. V. g. omnis ordo complicatus auctorem intellegentem habet; atqui ordo mundi est complicatus; ergo auctorem intellegentem habet.

In philosophia *peripatetica* deductio semper in magno honore habita est. Aristoteles ipse summa cum diligentia syllogismi naturam, figuras, modos, usum describit et philosophi scholastici haec fideli traditione servarunt et perfecerunt.

In philosophia autem *recenti* deductio interdum in parvo habetur pretio. Quidam negant ratiocinio deductivo *novam cognitionem* acquiri, inter alia illas difficultates repetentes, quae iam apud veteres scepticos, velut Sextum Empiricum inveniuntur, e. g. in antecedente consequens inferendum iam enuntiari. Alii *empirismo* penitus addicti fere tantum experientiam et inductionem aestimant. Denique hodierni sectatores *irrationalismi* admittunt quidem a nobis ratiocinia formari, sed parum valoris iis ascribunt; non intellectu ratiocinante, sed affectiva apprehensione vel immediata intuitione veritates, sublimiores maxime, a nobis apprehendi affirmant.

Deductionem genuinum fontem novae cognitionis esse 203*
clarum est. Nam in ratiocinio deductivo mens ab explicita cognitione praemissarum, quae conclusionem tantum implicite continent, ad explicitam cognitionem *conclusionis* et quidem tamquam ex praemissis *sequentis* procedit. Sic autem ratiocinium fons novae cognitionis evadit. Nam conclusio prius aut nullo modo in se cognita erat aut saltem non tamquam ex his praemissis sequens. Quare ratiocinio vel nova veritas vel saltem nova veritatis ratio cognoscitur.

Immerito autem *obicitur:* Qui rationcinari incipit, conclusionem quaerit; atqui quod quaeritur, notum est; ergo conclusio ante ratiocinium nota est. — *Resp.* D. mai. quaerit conclusionem vel novo tantum argumento demonstrandam vel in se ipsa, attamen solummodo ut quaestionem solvendam C. quaerit eam in se et quidem ut veritatem iam cognitam N. Cd. min. quod quaeritur in se, sed tantum instar quaestionis N. quod quaeritur solum novo argumento demonstrandum Sd. ipsum in se est notum C. argumentum N. Saepe tantum inquiritur, utrum aliqua propositio nota ex certis praemissis legitime sequatur necne. Saepe etiam conclusio tantum ad modum quaestionis scitur i. e. inquiritur, quale praedicatum de aliquo subiecto inferendum sit (e. g. sitne multitudo actu infinita possibilis an impossibilis).

*204 **De inductione.** 1. Inductio est argumentatio, qua de omnibus id infertur, quod de singularibus per experientiam compertum est, seu qua ex factis singularibus observatis lex universalis infertur. Inductio *completa* est, si id, quod universaliter concluditur, prius de omnibus observatum est, *incompleta* est, si, quod tantum de aliquibus experientia observatum est, de omnibus concluditur. Non quidem illa, sed certe inductio incompleta tum communium cognitionum vulgare instrumentum est tum maxime in scientiis ad leges generales colligendas saepissime adhibetur.

2. *Aristoteles* fere solam inductionem completam attendit, licet etiam incompletam nosse eaque uti videatur. *Scholastici* veteres principia inductionis incompletae noverunt, sed non multum eam adhibuerunt et excoluerunt. Verum ex quo tempore mens humana ad leges naturae investigandas magna contentione se convertit, inductio in frequentem usum venit. Maxime *Baco Verul.* inductionem celebrat syllogismo deductivo contempto[1]); sed auctor inductionis minime dici potest, cum fere tantum de modo experientiam instituendi varia proferat neque ea nova et ab errore immunia.

[1]) „Spes una in inductione nova." Novum organum I 14.

3. *Inductio incompleta legitimus fons novae cognitionis* 205* est. In hac re praecipua quaestio est, quo iure liceat ex observatis aliquot individuis sive factis conclusionem facere ad legem universalem. Respondetur: quia, quod in aliquibus observatum est, invenitur rationem habere in eorum natura ideoque semper adsit oportet.

Argumentatio enim in hanc formulam contrahitur: Experientia teste hic effectus seu haec proprietas, qualitas, phaenomenon ita reperitur in aliquibus rebus sive eventibus (vis attractionis in corporibus, haec durities in ferro, aedificatio talis nidi in his avibus), ut manifestum sit, rationem, cur insit, non esse aliam nisi communen *naturam* rei vel aliquid naturae constanter annexum (naturam corporis, ferri, avium huius speciei). *Atqui*, quod rationem habet in communi natura rei, inest huiusmodi rei vel rebus eiusdem speciei semper; quia *natura semper eadem* manet. *Ergo* idem effectus seu proprietas, qualitas, phaenomenon semper rei vel rebus huiusmodi inest.

Experientia facti comparatur vel *observatione*, qua factum (motum stellarum) attendimus, quod a nostris arbitrariis dispositionibus non pendet, vel *experimento*, si factum inquirendum a nobis producitur sive mutatur, prout accidit in laboratoriis.

Propositio minor argumentationis allatae est principium metaphysicum, quod saepe *principium uniformitatis naturae* appellatur. Hoc principium neque ex sola experientia sumitur, quia universale est, neque iterum inductione demonstrari potest, quia sic in infinitum iretur; sed ex analysi notionum perspicitur. Si enim eadem natura causa est, semper eadem causa adest, proinde etiam idem effectus. Propterea valorem inductionis auferunt, qui extremo empirismo adhaerentes principiis metaphysicis universalem valorem denegant vel ea iterum in inductione niti asseverant, ut J. St. Mill et alii, vel qui cum Hume affirmant tantum consuetudine sive associatione idearum semper exspectationem excitari eventus futuros similes fore praeteritis.

Art. 4. De ambitu cogitationis humanae.

Cogitatio triplicem complectens operationem sensu superiorem perpetuo quidem experientiae inniti debet, attamem minime eius ambitu coarctatur, sed ad superempirica sive supersensibilia ascendere valet. Philosophia autem hodierna non raro humanae naturae hoc decus eripere itaque cognitionem, immo et vitam humanam nobilitate privare studet. Quare opus est, ut, complectentes ea, quae tractata sunt, genuinum ambitum humanae cogitationis vindicemus.

Th. 29. Intellectus cogitando causas et essentias rerum (1. p.) et sic etiam supersensibilia certo cognoscere potest (2. p.). Sed in his cognoscendis continuo ab experientia pendet (3.).

206 **Declar.** Thesis maxime duo ostendere intendit, hominem non intra limites experientiae includi et cogitationem sic tantum ultra experientiam ascendere posse, ut ab ea proficiscatur et pendeat.

1. Prima pars simul viam indicat, qua ad supersensibilia pertingamus, nempe quatenus causas et essentias rerum cognoscamus. Nam aut exsistentia aut indoles rerum supersensibilium cognoscenda est. Exsistentia earum invenitur, quia sunt causae rerum empiricarum, indoles autem, quatenus essentia earum cognoscitur. Causas ut tales non immediata experientia attingimus, neque causas efficientes, velut solem ut causam caloris vitaeque in terra, neque causas finales, ut fines rerum naturalium.[1]) Pariter essentia ut talis sive illud, quo res primum est id, quod est, et sine quo concipi nequit, immediata experientia non attingitur neque in rebus materialibus neque in spiritualibus; sed tantum eius manifestationes immediate percipiuntur.

2. *Supersensibilia* (superempirica), de quibus 2. p. agit, ea dicuntur, quae experientia attingi non possunt. Iam causae et essentiae rerum materialium, ut naturae specificae metallorum vel plantarum, rebus supersensibilibus

[1]) Excipitur aliquatenus proprium ego tamquam causa actuum.

adnumerari possunt, quia ut tales experientia immediata non attinguntur. Attamen strictius supersensibilia tantum *immaterialia* dicuntur, sive positive immaterialia i. e. spiritualia (Deus, anima, virtus, peccatum, leges morales, fortuna vitae futurae) sive negative immaterialia i. e. abstracta ab omni materia, ut veritates abstractae metaphysicae.

Adversarii[1]) duplicis generis sunt: 1. *agnostici* sive empiristae, qui cognitionem supersensibilium simpliciter negant omnemque metaphysicam repudiant, 2. *irrationalismi* sectatores, qui non infitiantur supersensibilia a nobis apprehendi, negant autem ea „rationali modo" i. e. per ratiocinationem intellectualem cognosci.

3. Veritatem 3. p. assertam neglegit rationalismus sive 207
intellectualismus ille immoderatus, qui intellectum nimis independentem facit ab experientia, vel ei ideas formasque ante experientiam innatas attribuens vel nimio apriorismo deditus generatim experientiam contemnens. His ex antiquis *Plato* adnumerandus est, docens ideas universales non ex sensibus hauriri, sed animam iam iis instructam in vitam ingredi. Exemplum Platonis non paucos ex posteris induxit ad intellectum nimis a sensu disiungendum. Ex philosophis autem recentibus huc referendi sunt *ontologi* (Malebranche, Gioberti, Rosmini), praeterea *Cartesius* et magis etiam *Spinoza,* qui in dogmatismo aprioristico modum excedit, maxime vero *Hegel,* qui omnem veritatem ex ideis suis extrahere conatur. Etiam *phaenomenologi* recentissimi cognitionem essentiarum nimium ab experientia separant, aliquatenus Platonem sequentes.

Demonst. 1. p. *Intellectus causas rerum cognoscere potest.* 208
Nam cognoscit principium causalitatis, quod asserit, omne, quod fiat sive incipiat, causam habere, et pariter alterum principium cognatum, quod affirmat causam oportere effectui esse proportionatam. Atqui sic intellectus perspicere potest, hanc rem esse causam illius et habere talem indolem effectui

[1]) Cf. Ontol.[5], De sortibus metaphysicae n. 13 ss.

correspondentem. Hac ratione comprehendimus ego nostrum esse causam actuum nostrorum sensitivorum et intellectualium ideoque includere praeter corpus principium sublimius, animam eamque spiritualem; pariter concludimus religionem christianam omnibus sanctiorem postulare causam sublimiorem quam veterem philosophiam et religionem gentilem, ex qua rationalistae eam derivare tentant.

Intellectus essentias rerum cognoscere potest. Nam percipimus manifestationes internae naturae rerum, tum effectus, quos producit, tum qualitates, quarum subiectum est, e. g. effectus et qualitates elementorum chemicorum, figuram, colores, actiones instinctivas animalium. Ex his manifestationibus autem colligere possumus, qualis sit interna essentia iis correspondens. Sic ex diffusione et expansione gasorum inferimus internam compositionem atomicam, ex actionibus et qualitatibus canis concludimus eum esse substantiam viventem, sensu instructam, ratione carentem.

209 **Demonst. 2. p.** 1. Intellectus per generalia principia, quae universalem valorem habent in ordine materiali et spirituali, causas et essentias rerum cognoscere potest, ut explicavimus. Atqui sic ex empiricis res supersensibiles, tum earum existentiam tum essentiam, colligere potest, velut ex mirabili finalitate rerum naturae conditorem supermundanum, ex desiderio beatitudinis in homine vitam futuram, ex actibus internis animam spiritualem. Ergo.

Aliter. Habemus ideas universales et universalissimas entis, substantiae, causae, finis, actionis, entis immaterialis, infiniti, quibus res omnes apprehendere possumus, quid sint. Et habemus principia generalia ex his conceptibus oriunda, quibus (concludendo e rebus empiricis) exsistentiam supersensibilium demonstrare possumus.

2. *Ad hominem.* Etiam cultores scientiae naturalis simili modo per principia universalia ex factis empiricis talia, quae experientiam fugiunt, concludunt. Calculo mathematico computant, qualis futura sit capacitas laborandi machinae

construendae, medicus ex phaenomenis externis morbum internum eiusque naturam interpretatur. Ex casu lapidis et motu stellarum gravitatem colligunt, quam nemo percipit nec satis comprehendere potest; ex factis physicis et chemicis inferunt atomos, electra, aetherem, quae nemo umquam videbit; ex proprietatibus elementorum notorum conclusionem fecerunt ad exsistentiam aliorum ignotorum, quae revera postea inventa sunt; Leverrier ex eventibus in Urano observatis intulit exsistentiam et locum Neptuni illo tempore ignoti, qui brevi post revera detectus est.

3. *Ex propensione et dignitate naturae.* a) Homines *pro-* 210
pensione indelebili naturae rationalis impelluntur et semper impulsi sunt ad supersensibilia et idealia cognoscenda, quae sit rerum nos circumstantium et hominum ipsorum natura et destinatio, sintne Deus et vita futura admittendi, utrum homo legibus moralibus subiectus sit necne. Conscientia propria et historia omnium populorum et temporum id testantur. Item homines semper inclinatione indelebili eiusdem naturae bona idealia desiderarunt, beatitudinem, praemium virtutis in vita futura, religionem, virtutem. *Atqui* hae inclinationes humanae naturae in vanum sive in obiectum fictum tendere nequeunt (tenderent autem, si haec obiecta ab homine cognosci non possent). Alioquin natura humana essentialiter inordinata et mendax esset, quod absurdum est dicere. Nam haec propensio tantum ex eo declarari potest, quod homines semper in se hanc vim intellectualem experti sunt, quae recte adhibita certam de supersensibilibus cognitionem acquirere valeat. Praeterea videmus omnia alia, etiam homine inferioria, ita ordinata esse, ut eorum indigentiis naturalibus plene satisfactum sit. Ergo homo supersensibilia cognoscere potest.

b) Quod *dignitati naturae* humanae graviter repugnat, admitti nequit, quia contradicit propriae naturae indoli et exigentiae. Atqui naturae graviter repugnat affirmare hominem supersensibilia cognoscere non posse. Nam α) sic praecipuum discrimen hominis a bestia tolleretur. Homo

a bestiis eo differre conspicitur, quod intellectum et voluntatem habet, quibus ea, quae bestiae sensibus non iam attingunt, ipse attingere potest. Atqui hoc discrimen auferretur, si ea, quae sensus transcendunt, homini intellegenda et appetenda auferrentur vel somnia esse dicerentur. Sic fieret, ut homo eo fere a brutis differret, quod ista veriore et ieiuniore cognoscendi et appetendi ratione fruerentur quam ipse. β) Notiones et veritates fundamentales religionis et moralitatis tollerentur eaque tantum homini cogitanda et appetenda relinquerentur, quae sensibus attrectantur. Ergo admittendum non est, hominem supersensibilia cognoscere non posse.

4. *A posteriori.* Supersensibilia cognosci posse etiam ex eo colligitur, quod revera cognoscuntur. Certa enim conspiciuntur esse argumenta, quibus multas veritates metaphysicas, morales, religiosas probamus.

211 Conceptus quidem, quibus res spirituales ut tales apprehendimus, *analogi* tantum sunt, non proprii; ideo imperfecti sunt et obscuri. Attamen ex hoc non sequitur eos nihil dicere, immo impossibiles esse. Testibus ipsis rerum mundanarum peritis materia, vis gravitatis et alia plena sunt densis obscuritatibus et fere mysteria sunt; non tamen ideo reiciuntur. Stultum enim est postulare, ut mens in rebus a sensibus remotis eandem claritatem aspectabilem acquirat, quam experimenta, observationes, calculus mathematicus praebent, acsi nulla sit vera *certitudo,* ubi non sit empirica *claritas.*

212 **Demonst. 3. p.** 1. Intellectus tum ideas omnes, quibus res concipit, tum pleraque iudicia de empiricis et supersensibilibus ex experientia haurit. Ergo in cognoscendis rebus, etiam supersensibilibus, perpetuo ab experientia pendemus.

a) Intellectus imprimis *ideas,* quippe quas innatas non habet, ex experientia, sensibili maxime, haurit; et quidem conceptus proprios, velut corporis, figurae, motus directe ex experientia accipit, analogos vero saltem indirecte, formando eos ex conceptibus propriis.

b) *Iudicia,* quibus veritates enuntiantur, aut analytica aut synthetica sunt. Iudicia analytica pauciora sunt. In his quidem nexus asserendus ex comparatione idearum perspicitur; sed plerumque nec ipsa satis intellegi possunt, nisi ideae factis experientia oblatis illustrentur (n. 194).

In iudiciis autem syntheticis nexus quoque vel immediate vel mediate experientia cognoscitur. Huc spectant facta singularia, tum interna tum externa ad vulgarem vitam et ad scientias pertinentia, quae observatione, experimentis, inquisitione historica inveniuntur; spectant leges generales naturae, quae plerumque amplam inductionem postulant; spectant generales definitiones, genera et species rerum naturae, quae pariter diligentem inspectionem et comparationem exigunt; pertinent declarationes certae et hypotheticae, quas scientiae de rebus empiricis proponunt. Philosophica denique inquisitio, quae ex rebus experientia notis ad causas eorum et subiecta concludendo progreditur, quae igitur ex rebus mundi visibilis Deum auctorem, ex operationibus plantae principium vitale, ex actionibus hominis animam spiritualem infert, pariter experientiae eique, ubi de corporum essentiis, de viribus animae et similibus agitur, admodum vigilanti innitatur oportet.

2. Idem confirmant inter alia *antiqui errores* in scientiis naturalibus, qui ideo commissi sunt, quod experientia non satis consulebatur neque sufficienter consuli poterat deficientibus tunc temporis necessariis mediis inquisitionum experimentalium.

Obiectiones. 1. Nihil possumus cognoscere nisi per sensus se- 213
cundum notum illud: nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. — *Resp.* D. i. e. origo idearum intellectus supponit, saltem quod attinet ideas rerum externarum, cooperationem sensuum C. i. e. ideae intellectus non differunt a sensatione, sublimius obiectum non attingentes N.

2. Ex rebus empiricis ad supersensibiles potissimum ope principii causalitatis concluditur; atqui principium causalitatis tantum intra ambitum experientiae certitudinem habet, id quod *Hume* et *Kant* ostenderunt. — *Resp.* C. mai. N. min.

3. De metaphysicis magna est opinionum dissensio; quod ostendit ea valde dubia esse. — *Resp.* D. est dissensio de rebus doctrinalibus, quae solum in scientiis tractantur Tr. de veritatibus principalibus vitae et religionis Sd. apud homines vulgares, qui naturali certitudine ducuntur N. apud doctos Sd. semper fuit N. nunc est, saltem apud multos Sd. ex defectu veritatis obiectivae eiusque cognoscibilitatis N. ex defectibus subiectivis, velut ex falsis ideis philosophicis, praeiudiciis, mala voluntate C.

4. Scientia moderna postulat, ut res empiricae sive naturales ex causis pariter naturalibus declarentur seu ut servetur „principium causalitatis naturalis clausae", quod vocant. Ergo scientiam modernam offendit, qui ad supersensibilia transitum facit. — *Resp.* D. ant. id postulant multi scientiam colentes et quidem propterea, quia agnosticismo addicti supponunt hominem supersensibilia non certo cognoscere C. postulat scientia ipsa Sd. hypothetice, si et quantum fieri potest C. absolute N.

*Art. 5. De phaenomenologismo.

*214 In recentissima philosophia celebratum nomen et non parvum influxum adeptus est phaenomenologismus, qui appellatur. Qui etiam suo modo de ratione cogitandi et philosophandi agit, immo meritum sibi attribuit, quod primus rectum philosophandi modum invenerit. Phaenomenologismum primus *E. Husserl* inauguravit.[1]) Est discipulus *F. Brentano* († 1917), philosophiae Aristotelis addicti, et simul a *Bolzano* († 1848) inspiratus est; per quos aliqua ex philosophia peripatetica in phaenomenologismum ingressa sunt.

Husserl primum impugnavit psychologismum, qui logicam, criticam cognitionis et generatim philosophiam diu infecit. Psychologismus nullum discrimen essentiale admittit inter conceptus intellectus et sensationes atque etiam ordinem obiectivum ab actibus psychologicis independentem tollit et veritates legesque logicas in operationes mere psychologicas convertit obiectiva necessitate et universali-

[1]) Praecipue in his operibus: Logische Untersuchungen, 2 Bde[3] (1922); Ideen zu einer reinen Phaenomenologie und phaenomenologischen Philosophie (1913); Philosophie als strenge Wissenschaft. Logos I (1910) 289 ff. Cf. de phaenomenologismo inter alia *Geyser*, Neue u. alte Wege der Philosophie (1916).

tate privatas. Husserl e contrario demonstrat cogitationem excedere sensationes eiusque praecipua obiecta esse rerum essentias necessarias ac universales, quae ab actibus psychicis independentes sint. Has essentias nos intuitive apprehendere affirmat. Quo iure et modo haec fiant seu fieri debeant, „phaenomenologia", quam ipse vocat et proponit, pertractat. Sententias, quas in hac instructione exponit totumque hoc philosophiae genus phaenomenologismum vocamus.

Phaenomenologismus igitur est illa philosophandi ratio, quae tenet, intellectum immediate et cum absoluta certitudine essentias rerum intueri et ab hac essentiarum consideratione, prout in illa intuitiva perceptione se nobis sistant, incipiendum esse. Iam singula in hac brevi definitione contenta declaranda sunt. Spectamus autem imprimis descriptionem phaenomenologismi, quam Husserl ipse praebet.

Auctor phanomenologismi sibi persuasit, prout olim Cartesius, usque adhuc philosophiam nondum esse scientiam hoc nomine dignam.[1]) Sicut Cartesius initium fecit ab ideis claris, affirmans ea tamquam certa admittenda esse, quae clare apprehenderentur, sic ille putat initium philosophandi debere esse simplicem intuitionem veritatis, sicut se cognitioni nostrae sistat,[2]) attamen non tam intuitionem rerum individualium, quae universalitate ideoque momento philosophico carent, sed intuitionem essentiarum universalium.

Itaque initium sic faciendum esse, ut res sive obiecta 215*
inspiciantur abstractione facta ab omni scientifica interpretatione hactenus prolata, sicut in se ipsis se sistant sive appareant. Obiecta sic sumpta vocantur *phaenomena*. Inde

[1]) „Ich sage nicht, Philosophie sei eine unvollkommene Wissenschaft, ich sage schlechthin, sie sei noch keine Wissenschaft, sie habe als Wissenschaft noch keinen Anfang genommen." Philosophie als strenge Wiss. 290.

[2]) „Es liegt im Wesen der Philosophie, sofern sie auf die letzten Ursprünge zurückgeht, daß ihre wissenschaftliche Arbeit sich in Sphären direkter Intuition bewegt." Ib. 341.

phaenomenologia nomen habet, scientia de phaenomenis. Ex phaenomenis multa sunt empirica, videlicet res exsistentes et individualitate indutae, e. g. hoc rubrum. Sed in omnibus inest essentia universalis, e. g. rubrum, triangulum; pariter in actibus internis inest essentia universalis, ut cognitio, iudicium, sensatio et alia. Quia igitur phaenomenologia quaerit, *quid* phaenomena sint, sponte evadit scientia de universalibus essentiis (Wesenswissenschaft).

Essentiae (Wesen, eidos) abstractae et universales sunt; neque actus sunt neque etiam exsistunt, sed „esse ideale" ab exsistentia diversum habent („ideale Bedeutungseinheiten"). Quamquam Husserl explicite opinionem platonicam reicit, quae essentias in ordine quodam separato ponit, tamen eas simul ita a rebus exsistentibus separat et independentes et quasi in se subsistentes facit, ut videatur fere in platonismum recidere.

Essentias *cognitione intuitiva* apprehendi dicuntur, intuitione nempe intellectuali („eidetische" oder „Wesensschauung"). Quae sic fieri dicitur, ut in re concreta sensibiliter percepta vel imaginatione repraesentata tamquam in exemplo, e. g. in hoc rubro, intuitu essentiam apprehendamus omittentes exsistentiam et individuales determinationes („reductio phaenomenologica et eidetica"), itaque pure essentiam universalem intueamur.[1]) Tali intuitione omnes essentiae cognosci dicuntur, illae quoque, quarum cognitio secundum communem opinionem tantum multiplici comparatione vel ratiocinatione acquiritur, ut essentia Dei, boni et mali, pulchri, essentiarum specificarum animalium. Phaenomenologis valde propria, sed etiam in se fatalis est insignis fiducia, qua arbitrantur se omnium phaenomenorum essentias cum certitudine cognoscere itaque infallibiliter integrum veritatis ambitum comprehendere posse.

[1]) „So erfassen wir die spezifische Einheit Röte direkt, selbst auf Grund einer singulären Anschauung von etwas Rotem. Wir blicken auf das Rotmoment hin, vollziehen aber einen eigenartigen Akt, dessen Intention auf die ‚Idee', auf das ‚Allgemeine' gerichtet ist." (Logische Untersuchungen II 1, 223.

Licet Husserl saepe asserat, essentias et generatim obiecta habere esse a cogitatione independens, tamen tum ipse tum alii eius sectatores simul expresse affirmant phaenomenologica cognitionis intuitione constare, esse obiectorum tantum in hoc consistere, quod cogitentur, obiecta per cogitationem constitui et a cognitione pendere (vom reinen Bewußtsein). Sic in *idealismum* incidunt.[1]) Alii phaenomenologi realismum tenere student.

Phaenomenologismus vel omnino vel ex parte multorum 216*
approbationem adeptus est. Schola ipsa phaenomenologorum hanc philosophandi rationem quaestionibus logicis, psychologicis, aestheticis, iuridicis, quaestionibus philosophiae religionis et aliis applicat, attamen non sine notabili differentia, etiam quod ipsam phaenomenologismi naturam attinet. Inter alios eminet *M. Scheler*.

Doctrinam aliquatenus similem *A. Meinong* († 1921), etiam ipse discipulus F. Brentano, profert, quam vocat „theoriam obiectorum" (Gegenstandstheorie).

*Th. 29. **In phaenomenologismo approbandum est, quod veritatem obiective et exacte inquirere studet; quo inter alias doctrinas hodiernas excellit (1. p.) Attamen sub multiplici respectu a genuina interpretatione cognitionis graviter deflectit (2. p.).**

Demonst. 1. p. Phaenomenologismus, si eius principalis 217*
intentio et finis spectatur (cui tamen non constanter inhaeret),

[1]) „Das Sein, das für uns das Erste ist, ist an sich das Zweite, d. h. es ist, was es ist, nur in ‚Beziehung' zum Ersten . . Realität, sowohl Realität des einzeln genommenen Dinges als auch Realität der ganzen Welt, entbehrt wesensmäßig (in unserem strengen Sinne) der Selbständigkeit. Es ist nicht in sich etwas Absolutes und bindet sich sekundär an anderes, sondern es ist in absolutem Sinne gar nichts, es hat gar kein ‚absolutes Wesen', es hat die Wesenheit von etwas, das prinzipiell nur Intentionales, nur Bewußtes, bewußtseinsmäßig Vorstelliges, Erscheinendes ist." „Andererseits ist die ganze räumlich-zeitliche Welt . . ihrem Sinne nach bloßes intentionales Sein, also ein solches, das den bloßen sekundären, relativen Sinn eines Seins für ein Bewußtsein hat. Es ist ein Sein, das das Bewußtsein setzt, das prinzipiell nur als ein Identisches von motivierten Erscheinungsmannigfaltigkeiten anschaubar und bestimmbar — darüber hinaus aber ein Nichts ist." Ideen 93 f.

a) Contra *sensismum et empirismum* tenet cognitiones intellectuales non tantum sensationes reproductas esse, quibus solum facta et res individuales percipiamus, sed nos universales ac necessarias rerum essentias cognoscere.

b) Contra *subiectivismum* profitetur obiecta non cognitione poni et construi, sed esse aliquid independens, et operam dandam esse, ut haec obiecta et maxime essentias simpliciter, sicut se nobis manifestant, apprehendamus.

c) Contra *scepticismum et relativismum* profitetur magnam fiduciam in mentis aptitudinem ad veritatem cognoscendam.

d) Contra *intellectualismum* et scientismum exaggeratum recte etiam illam naturalem certitudinem genuinam agnoscit, quae sine discursu formali veritatem perspicit (licet eam falso „intuitivam" appellet).

Atqui in his manifestatur studium veritatem obiective et exacte inquirendi, quo phaenomenologismus inter alias doctrinas hodiernas excellit. Quod approbandum est. Ergo.

*218 **Demonst. 2. p.** Phaenomenologismus in his potissimum a genuina cognitionis interpretatione deflectit:

a) Ita affirmat essentias universales aliud esse ab individuis nec in iis exsistere, ut conceptionem *platonicam* sequi videatur.

b) Falso asseritur omnium essentiarum *immediata intuitio*. Complures essentias quidem aliquatenus immediate apprehendimus, e. g. quid sit rubrum, desiderium, dulcedo. Ut autem cognoscamus, quid sit illa communis notio et essentia, quam vocabulis boni, mali, pulchri, iuris, animae significamus, attenta et ampla comparatio, deliberatio, ratiocinatio necessaria est. Quae quidem operatio discursiva et comparativa interdum distinctam conscientiam fugit, ut species immediatae cognitionis oriatur; sed vere immediata minime est. Multo minus semper cognitio intuitiva est. Nam multas essentias tantum conceptu analogo et valde obscuro apprehendimus; interdum nullam certitudinem acquirere possumus, sed multae controversiae sunt. Si ad

cognoscendas essentias simplex aspectio sufficeret, non tam difficiles et disputatae essent quaestiones illae de Deo, religione, moralitate, obligatione, iure, de libertate voluntatis, de discrimine sentimentorum et multis aliis.

c) Peculiare periculum in phaenomenologismo est, quod 219*
audaciam in philosophando inducit. Cui persuasum est omnium essentiam intuitive apprehendi, dummodo quis attentionem adhibere velit, intuitionem autem errare non posse, facile sibi facultatem tribuit ad omnium rerum intimas rationes perspiciendas omnesque quaestiones infallibiliter solvendas. Quo fiet, ut meras conceptiones pro veritatibus proponat, solutiones potius decernat, quam probet, ut unus rem sic, alius aliter intueatur, nec hic nec ille refutari possit, cum quisque respondeat id evidens esse et dubitanti forte dicat, eum ingenio philosophico ad res recte intuendas carere. Revera observamus phaenomenologos ita agere. Similiter Cartesius, statuens omne esse verum, quod clare apprehendatur, multa sic clare apprehendere voluit, quae aliis omnino falsa apparent, e. g. essentiam corporis esse totalem inertiam, essentiam spiritus autem cogitationem, metaphysice necessaria a voluntate Dei pendere, ut, si velit, etiam circulus quadratus esse possit. — Periculum, ne philosophia in speculationem effrenatam abeat, ex eo augetur, quod intuitio phaenomenologica, quam eius auctor intellectualem describit, apud alios convertitur in intuitionem illam affectivam, „vitalem", „irrationalem" (Fühlen, Erleben), qua absque cognitione intellectuali per solam apprehensionem appetitivam tamquam vera tenentur, quae cum propriis indigentiis sive naturae impulsibus concordant.

d) Denique phaenomenologismus in *idealismum* incidit, si esse obiectorum et essentiarum in eo tantum reponit, quod cogitantur. Sic etiam contradictio in phaenomenologismum inducitur, qui una ex parte obiecta cognoscere intendit pure et simpliciter sicut in se sunt, altera autem ex parte obiecta producta cognitionis efficit.

Iam vero hae sunt deflexiones graves a genuina interpretatione cognitionis. Ergo.

Caput V

De falsis doctrinis criteriologicis

220 Exposita genuina indole cognitionis tum experimentalis tum cogitativae eiusque ad veritatem inveniendam potestate iam agendum est de praecipuis falsis doctrinis, quae hac aetate de cognitione humana statuuntur quaeque magis quam alii errores universam vitam culturalem, intellectualem, moralem, religiosam, inficiunt atque corrumpunt. Iam crebro earum mentionem fecimus. Nunc data opera de iis tractandum est et quidem continenti contextu de omnibus, quia nunc, veritate explicata, melius intellegi et diiudicari possunt simulque earum mutua conexio clarius perspicietur.

Doctrinae criteriologicae falsae duplici potissimum errore peccant: primum cogitationi obiectivitatem denegant eamque sic ad condicionem merae affectionis psychicae deprimunt, quae iam indigentiis subiecti inservire debet; deinde intellectui specialiter supersensibilia cognoscendi facultatem auferunt.

Incipimus ab errore priore. Hic maxime in idealismo apparet, qui etiam aliorum errorum praecipuus fons est.

Art. 1. De idealismo

221 **Quid sit.** 1. Ostendimus, cognitionem intellectualem ex natura sua esse repraesentationem obiecti ab ea independentis eiusque finem in eo situm esse, ut huic ordini obiectivo quam perfectissime se conformet itaque veritatem assequatur. Haec doctrina, quam genus humanum semper interna persuasione et opere professum est quaeque Aristoteli et scholasticis familiaris fuit, *obiectivismus* vocari potest.

Contraria cognitionis notio iam antiquitus identidem apparuit, potissimum vero ex aliquot saeculis invaluit et per *Kant* systematice exculta est. Asserit cognitionem humanam non esse similitudinem obiecti ab ea independentis, sed obiecta ab ipso subiecto secundum leges ei insitas efformari sive produci. Haec doctrina idealismus vocatur atque ita philosophiae modernae propria est, ut praecipuae doctrinae de cognitione ex ea initium sumant vel etiam parum ab ea differant. Extra castra autem philosophorum hoc effecit, ut generatim fiducia in obiectivum valorem cognitionis vehementer infirmata sit. — Idealismus vero, quem hoc loco consideramus, criteriologicus est.

Idealismus enim duplici modo valde diverso accipitur eique realismus pariter duplex opponitur.

a) *Idealismus metaphysicus* intellegitur conversio mentis 222
et voluntatis ad sublimiora quaerenda. Ita loquimur de ideali (vel realistica) animi seu temporis indole, de arte ideali, speciatim vero de ideali mundi vitaeque conceptione (ideale Welt- und Lebensanschauung).[1]) Haec mundi vitaeque conceptio profitetur, supra ea, quae experientiae sensibusque se offerunt, esse superiorem ordinem realitatis ac veritatis aeternum et immutabilem, a sensibus remotum et idealem, secundum quem mens de rebus visibilibus cogitare et voluntas res appetere debeat; e. g. in homine esse spiritum immortalem ideoque eius finem ac perfectionem non in solis rebus caducis sitam esse. Hic idealismus spectata voce a Platone originem ducit.

b) *Idealismus criteriologicus* est doctrina, quae *ideis et cognitionibus obiecta ab iis independentia respondere negat* vel saltem in dubium vocat. Cum enim vox „idea“ ad actum et ad obiectum significandum adhiberi possit, recentiore tempore Descartes, Locke, maxime vero Berkeley et post eos philosophi moderni saepissime, aliter ac Plato et scholastici, ideam pro actu tantum accipiunt et quidem, quod potissimum est, ita, ut multi eum ab obiecto distin-

[1]) Confer Ontologiam[5] n. 211 ss.

guere iam nesciant. Huic idealismo opponitur *realismus* asserens cognitionibus obiecta ab iis independentia respondere. Realismus magis minusve limitatus esse potest, prout magis minusve obiecta talia in ordine rerum haberi asserit, qualia repraesentantur; pariter etiam idealismus in maiore minoreve ambitu defendi potest.

223 2. *Error principalis,* a quo idealistae proficiscuntur, hic est: quoniam ideae et cognitiones actus subiecti sunt[1]), per eas ad obiecta ab actibus distincta (transcendentia), qualia in se sunt[2]), pervenire non possumus. Sive aliter: obiecta, ut primum repraesentantur, iam cognitiones nostrae sunt, ideo non iam sunt res, sicut in se ipsis sunt; ergo res, ut in se sunt, attingi nequeunt.

Idealistae hoc dogma principale de *omnibus,* tum mentis tum sensus cognitionibus statuunt. Sed plerumque de illis tantum cognitionibas loquuntur, quae obiecta *exsistentia* referunt, sive sensationes sive mentis iudicia sunt. De ideis enim et iudiciis mentis, quae solum essentias abstractas, obiecta possibilia seu metaphysica exhibent, dogma illud sine controversia evidens esse putant. Talibus enim cognitionibus nihil „reale" (videlicet exsistens) a mente independens contineri supponunt, sed eas sponte oriri existimant ex formis cogitandi subiectivis, sive mente a natura insitis sive paulatim per evolutionem generis humani productis. His formis effici dicunt, ut de obiectis experientia oblatis certis modis cogitare cogamur.

Quando igitur idealistae de valore obiectivo cognitionis loquuntur, plerumque tantum obiecta exsistentia seu mundum realem respicere solent. Ideo etiam in definitionibus idealismi tantum mundi realis (externi) mentio fieri solet. „Idealistae dicuntur", inquit iam *Chr. Wolff,* „qui realem mundi et corporum exsistentiam negant."[3]) Et *Kant* scribit: „Idealismus affirmat nulla esse nisi entia cogitantia; reliqua, quae intuitu percipere opinemur, tantum entium

---

[1]) Bewußtseinsvorgänge. — [2]) Dinge an sich. — [3]) Psychol. rational. § 36.

cogitantium repraesentationes esse, quibus re vera nullum obiectum extra eas exsistens respondeat."[1]) „Idealismus criteriologicus", ita nunc definire solent, „est doctrina, secundum quam mundus externus non in se, sed solum tamquam obiectum mentis (percipientis et cogitantis) exsistit, ut nullum obiectum sine subiecto sit."[2])

Attamen essentia idealismi generatim in hoc formaliter consistit, quod naturam cognitionis in genere spectatae pervertit, negans eam esse repraesentationem obiecti ab ea independentis seu distincti. Ab hoc principio omnes idealistae egrediuntur idemque plurimi alii philosophi moderni admittunt, etiam tales, qui deinde ad realismum pervenire volunt.

Testimonia aliqua auctorum aetatis recentioris clarius ostendant 224
generale dogma principale et modum loquendi. „Mundus", inquit *Schopenhauer*, „est mea repraesentatio; . . nulla veritas certior et ab omnibus aliis magis independens et probatione minus indigens est quam ista."[3]) Similiter *alii* loquuntur: „Tantum cogitatio ipsa producere potest, quod tamquam esse agnoscendum est."[4]) „Obiectum cognitionis non exsistit extra cognitionem tamquam res absoluta."[5]) „Distinctio sub-

---

[1]) „Der Idealismus besteht in der Behauptung, daß es keine anderen als denkende Wesen gebe; die übrigen Dinge, die wir in der Anschauung wahrzunehmen glauben, wären nur Vorstellungen in den denkenden Wesen, denen in der Tat kein außerhalb dieser befindlicher Gegenstand korrespondierte." Prolegomena § 13. Anm. II. — [2]) *R. Eisler:* Der erkenntnistheoretische Idealismus ist „der Standpunkt, demgemäß die Außenwelt nicht an sich, sondern nur als Inhalt oder Gegenstand eines (wahrnehmend-denkenden) Bewußtseins existiert, so daß es kein Objekt ohne Subjekt gibt." Wörterbuch der philos. Begriffe[4] (1927) I 672. Idealismus. — [3]) „Die Welt ist meine Vorstellung; . . keine Wahrheit ist gewisser, von allen anderen unabhängiger und eines Beweises weniger bedürftig als diese." Die Welt als Wille und Vorstellung I § 1. 2. — [4]) *H. Cohen:* „Nur das Denken selbst kann erzeugen, was als Sein gelten darf." Logik der reinen Erkenntnis[2] (1914) 81; aliis in locis similia: „das Sein ist das Sein des Denkens", „das Sein ruht nicht in sich selbst, das Denken erst läßt es entstehen", Dinge gibt es nur „in und aus Gedanken". — [5]) *B. Bauch:* Der Gegenstand der Erkenntnis „existiert nicht außerhalb der Erkenntnis als absolutes, von ihr abgelöstes Ding oder Wesen." Das Naturgesetz (1924) 59.

iecti et obiecti in processu simplicissimo cognitionis semper tantum artificialis et fictiva divisio est, non vero analysis elementorum vere divisibilium."[1]) „Exsistentia alicuius rei in eo consistit, quod est ens cognitatum."[2]) „Realitas non cognita cognitari nequit: nam si cogitatur, . . iam iterum cognitio facta est."[3]) „Evidens esse censetur scientiam non ultra mentis ambitum pertingere, ideoque exsistentia rerum extra mentem saltem problematica manere debet."[4]) „Etiam realismus hanc veritatem agnoscere debet et potest. Nunquam ex individuali repraesentationis ambitu egredimur; etiamsi aliquid a nobis independens assumimus, tamen hoc reale absolutum tantum in nostra repraesentatione est."[5]) „Oppositio inter ego et mundum, inter perceptionem seu phaenomenon et rem sublata est."[6])

225 3. Ab idealismo non multum differt *phaenomenalismus*, qualem praesertim Kant excoluit. Phaenomenalismus mediam viam quaerens inter idealismum et realismum admittit esse res reales, sed nos, ait, non cognoscere eas, sicut in se sunt, sed tantum earum phaenomena; haec phaenomena esse illas affectiones sive repraesentationes, quas res in nobis excitent, per quas igitur res nobis appareant. (Attamen si cognoscendo extra cognitiones nostras egredi non pos-

---

[1]) *Frischeisen-Köhler:* „Die Scheidung von Subjekt und Objekt im Vorgang des einfachsten Wissens ist immer nur eine künstliche, fiktive Zerlegung, keine Analyse tatsächlich scheidbarer Elemente." Wissenschaft und Wirklichkeit (1912) 219. — [2]) *J. Bergmann:* „Das Dasein eines Dinges überhaupt besteht darin, daß es ein bewußtes Wesen ist." System d. objektiven Idealismus (1909) 201. — [3]) *Windelband:* „Eine bewußtseinslose Wirklichkeit ist niemals auszudenken, denn wenn sie gedacht wird, wenn sie erkannt werden soll, ist sie ja bereits wieder zum Bewußtseinsinhalt geworden." Einltg. in d. Philosophie[3] (1923) 232 s. — [4]) *H. Rickert:* „Es gilt der Satz, daß das Wissen nicht weiter reichen könne, als das Bewußtsein reicht, für selbstverständlich und damit muß die Existenz von Dingen außerhalb des Bewußtseins zum mindesten problematisch bleiben." Der Gegenstand der Erkenntnis[5] (1921) 5. — [5]) *O. Liebmann:* „Eine Wahrheit, die auch der Realismus, wofern er philosophisch zurechnungsfähig sein will, anerkennen muß und anerkennen kann . . ist folgende. Wir kommen nie und nimmer aus unserer individuellen Vorstellungssphäre heraus; selbst wenn wir etwas von uns Unabhängiges annehmen, so ist uns doch dies absolut Reale nur als unsere Vorstellung gegeben." Zur Analysis der Wirklichkeit[3] (1900) 28. — [6]) *E. Mach:* „Der Gegensatz zwischen Ich und Welt, Empfindung oder Erscheinung und Ding fällt weg." Analyse d. Empfindungen[7] (1918) 11.

sumus, neque scimus esse res et repraesentationes earum phaenomena esse.)

Pariter *psychologismus*, qui appellatur, idealismo admodum affinis est. Psychologismus cognitiones, ignorans sive negans earum valorem obiectivum, meras actiones psychicas habet, quae secundum leges psychicas humanae naturae inditas producantur, inter se influant et conectantur. Ideo leges cogitandi non iam habet obiectivas in ordine obiectivo fundatas, sed mere subiectivas ex organisatione tantum psychologica provenientes; immo totum ordinem ontologicum, aestheticum, moralem, religiosum facit productum subiectivum activitatis psychologicae et omnes fere scientias ultimo in psychologiam convertit. (Si haec est indoles cognitionis nostrae, iam nescimus, num entia aliter instructa res eodem modo cognoscant sicut nos et nos ipsi res eodem modo cognosceremus, si aliter organisati essemus.)

Species idealismi. Diversae formae idealismi inveniuntur. 226
Potissimum hae distinguendae sunt:

1. *Idealismus rigidus et moderatus.* Vix unus est inter idealistas, qui dogmati principali supra descripto consequenter inhaereat. Nihilominus pro maiore minoreve hac inconstantia apte duplex idealismus distingui potest: a) Idealismus *rigidus* praeter actum cognitionis omnem realitatem explicite negat aut summum idque inconsequenter proprium subiectum admittit *(solipsismus)* et forte etiam ad modum hypothesis alia subiecta sui conscia, praesertim quandam pantheisticam „mentem universalem et absolutam". – b) Idealismus *moderatus* insuper varias alias realitates explicite concedit. Quidam cum Berkeley entia spiritualia admittunt, alii cum Kant tenent, cognitionibus aliquid exsistens, licet ignotum x, respondere; alii insuper varia alia admittunt.

Praeterea aliae species distinguuntur, quae variis nominibus, attamen non constantibus, designari solent. Inter alias hae afferuntur:

2. *Idealismus subiectivus* et *obiectivus*. Secundum idealismum subiectivum mundus repraesentatio singulorum subiectorum est. Eius praecipuus defensor et quasi auctor Berkeley est. Idealismus autem obiectivus statuit absolutam quandam sive universalem mentem impersonalem, quae mundum repraesentando ponat, ut mundus tantum exsistat in eius repraesentatione, attamen independens sit a singulis subiectis (quae ceteroquin quasi partes et modi istius mentis universalis pantheisticae finguntur). Talem idealismum inter alios Fichte, Schelling, Hegel defendunt et modo alio H. Cohen, Paul Natorp.

Itaque idealismus frequenter in *pantheismum* spiritualisticum desinere solet, quatenus mens sive conscientia universalis cuiusdam absoluti fingitur, cuius singulae individuales mentes quasi partes seu modi sint.

3. *Idealismus criticus* sive *transcendentalis* vocatur idealismus, quem Kant docet.

Denique idealismus interdum *acosmisticus* vocatur, quatenus mundum externum realem esse negat.

227 **Historia idealismi.** Omissa philosophia brahmanica Indorum et philosophia eleatica antiquitus Sophistae, recentiore aetate Descartes idealismo praeluserunt. Praecipuus vero eius auctor est *Berkeley* († 1753), qui ferme primus obiectum cum idea subiectiva plene confundit: „Quicunque obiecta cognitionis humanae considerat", inquit, „perspicit ea esse partim ideas menti impressas, partim ideas etc." „Esse eorum [obiectorum] est percipi."[1]) Post eum maxime *Kant* idealismo viam aperuit. Ex principiis Kantii *Fichte, Schelling, Hegel* ad absolutum idealismum progressi sunt. Rem exsistentem, attamen in se ignotam, quam Kant reli-

[1]) „It is evident to any one who takes a survey of the objects of human knowledge, that they are either ideas actually imprinted on the senses . ." „Their esse is percipi, nor is it possible they should have any existence out of the minds or thinking things which perceive them." Of the Principles of Human Knowledge I. III.

querat, reiciunt, utpote inconsequenter admissam, et statuunt cogitare quoddam absolutum, quod cum esse ipso identicum sit; hoc absolutum ex se indeterminatum continua evolutione ad diversa se determinare (pantheismus idealisticus).

Recentissima aetate idealismus ubique grassatur, non rigidus quidem sibique constans, sed temperatus quidam, qui varias formas subiectivismi, immanentismi, pragmatismi, positivismi sive agnosticismi induit et praesertim cognitionem ordinis superempirici arrodit. Idealismus principalis error criticae modernae est. Vix non omnes praecipuae doctrinae de cognitione ab eo initium sumunt vel ab eo parum differunt.

Ceterum in annos eorum numerus augetur, qui ad realismum redeunt, saltem quatenus, licet interdum ex principiis supremis idealismi se extricare nesciunt, in idealismo haerere omnino nolunt et mundum externum admittunt.

Th. 30. Idealismus reiciendus est. Etenim ut factum spectatus impossibilis est (1. p.), ut doctrina vero consideratus manifestas contradictiones includit et absurdus est (2. p.), licet eius falsitas ipsis idealistis ostendi nequeat (3. p.).

Declar. Thesis spectata re et forma simillima est thesi 3, 228 qua scepticismus reicitur. Idealismus enim genuinus scepticismus est, licet idealistae sceptici esse nolint, cum se veri cognitionem non tollere, sed recte explicare praetendant; absurde affirmantes cognitionem non esse obiecti repraesentationem, sed productionem.

Sicut scepticismus ita idealismus duplici modo spectari potest. Idealismus ut *doctrina* spectatus sive theoreticus est complexio assertionum, quarum suprema negat cognitionibus respondere obiecta ab iis independentia. Idealismus ut *factum* spectatus sive practicus in eo consistit, quod constanter omnis cognitionis valor obiectivus negatur sive in dubium vocatur.

229 **Demonst. 1. p.** Non quidem impossibile est, ut interdum conquisitis rationibus vel adhibito conatu dubium excitetur de valore obiectivo unius vel alterius cognitionis eiusque etiam valde clarae.

Sed *fieri nequit,* quin saltem saepe clara evidentia persuasionem extorqueat, obiecta repraesentata non esse a nobis producta, sed independentia et realia, velut suprema principia, dolorem, quem sentimus, propriam exsistentiam et exsistentiam rerum circa nos. Etenim

a) Propria experientia id ostendit de nobis ipsis, unde idem concludendum est de aliis eandem nobiscum naturam habentibus.

b) Idem idealistae confitentur. Etenim ita constanter se gerunt, sicut qui firmissime sibi persuasum habent se ipsos et mundum externum independenter a mente cogitante exsistere; alloquuntur enim homines, libros edunt, doctrinas suas proponunt et demonstrant.

230 **Demonst. 2. p.** A) Idealismus ut doctrina propositus varia implicite affirmat, quae explicite negat. Ergo contradictiones involvit. Revera

1. Idealistae affirmant, actus mentis *res a se distinctas et independentes cognoscere non posse,* idque argumentis probant. Iamvero sic implicite affirmant nos posse cognoscere mentis vel actuum indolem, ut est in se, etiam indolem eorum actuum, qui fuerunt et erunt, qui proin certe ab actu inquirente distincti sunt; insuper posse nos constans discrimen inter verum et falsum, inter certum et dubium, immo etiam aliquid de rebus ipsis cognoscere, ut in se sunt, nimirum qualem relationem ad cognitionem habeant. Non pauci etiam ex eo, quod res externas cognoscere non possimus, statim se scire concludunt eas non exsistere (dogmatismus negativus).

2. Asserunt in subiecto cognoscente *formas permanentes* esse, secundum quas obiecta cognoscamus. Ergo iterum quarundam rerum a cognitionibus distinctarum notitiam nos habere dicunt.

3. Omnes fere praeter actus non solum permanens *subiectum proprium,* quod actus habet, sed etiam *alia* subiecta cognoscentia supponunt.

Interdum id excusare conantur dicentes subiecta cognoscentia pertinere ad ambitum mentalem, quem proinde illa subiecta admittendo non egrediamur. Sed subiecta externa certe ambitum mentalem cognoscentis egrediuntur.

4. Praeterea multi evidentia convicti variis sophismatum et verborum ambiguitatibus totum fere ordinem rerum a se sublatum iterum *occulte restaurant.* Nam a) de cognitionibus ita plerumque loquuntur, acsi verae realitates externae vel nescio quid medium inter ordinem subiectivum et externum sint; vocant enim eas „rerum phaenomena", „rerum apparentias" etc. Iam Kant constanter ita loquitur. b) Idealistae saepe, quamquam verbis ambiguis, affirmant obiecta etiam manere, quando non actu cognoscantur, ergo extra cognitiones exsistere.

B) Idealismus absurdus est, si contra omnium firmas persuasiones gravissime offendit. Atqui offendit. Nam totum mundum tollit vel dubium facit, firmissimas persuasiones et omnes scientias imaginarias reddit atque a scepticismo parum differt.

Demonst. 3. p. Qui cum idealistis serio de valore obiectivo idearum dubitat, eo ipso etiam de valore illorum actuum dubitat, quibus idealismi refutatio perficienda esset. Ergo idealismi falsitas ipsis idealistis ostendi nequit.

Art. 2. De subiectivismo

Subiectivismus germanus frater idealismi est seu potius 231
ipse idealismus nova forma expressus et quidem tali, in qua idealismi absurditas minus apparet. Subiectivismus autem, quem nunc spectamus, criteriologicus est.

Subiectivismus generaliter sumptus, sicut aetati nostrae valde proprius est, in eo consistit, quod subiectum norma cogitandi et vivendi constituitur, non autem ordo obiectivus

a subiecto independens. Duplex igitur subiectivismus distingui potest, moralis et criteriologicus.

Subiectivismus moralis constituit subiectum humanum sibi normam in agendo et vivendo. Genuina philosophia docet, hominem, utpote ens creatum et limitatum, finem ultimum Deum habere ideoque in vivendo legi morali divinae atque etiam legitimis legibus humanis subiacere. Subiectivismus vero asserit, non hunc ordinem obiectivum externum, sed subiectum ipsum sibi legem vitae esse, nempe suam rationem, conscientiam (mere subiectivam), indolem personalem; immo debitam hominis libertatem postulare, ut immunis sit ab omni lege, quam non ipse sibi imposuerit.[1])

232 *Subiectivismus criteriologicus* subiectum in cognoscendo sibi normam constituit. Systematice ex idealismo egreditur. Supponit cognitiones esse tantum subiectivas i. e. eis non exhiberi res, sicut in se independenter a cognitione sunt, sed exhiberi tantum modum, quo subiectum secundum indolem suam seu leges sibi insitas ordinem obiectivum repraesentando efformet seu producat. Hunc modum autem a mutabili dispositione subiecti individualis vel collectivi pendere ideoque pro variis individuis, hominum generibus, aetatibus varium esse. Itaque secundum subiectivismum non veritas obiectiva a subiecto independens et immutabilis, quippe quae attingi non possit, sed subiectum est norma iudiciorum et rectitudinis cogitandi.

Subiectivismus etiam ita describitur: est doctrina, quae docet cognitionibus exhiberi tantum modum, quo res subiectum afficiant et quo ei appareant. Subiectivistae enim tacite, licet inconsequenter, supponunt, cognitionem rebus ipsis, quas furtim admittunt, aliquo modo causari. Hac ratione subiectivismus evadit phaenomenalismus.

Subiectivismus igitur ab *idealismo* tantum differt, quatenus explicite enuntiat, quod iam in idealismo continetur, cognitiones tantum esse modos subiectivos apprehendendi

[1]) Cf. Ethicam I[3] n. 83. 182. 256, II[3] 210. 245. 294. 549.

a subiecto provenientes ideoque subiectum ipsum sibi in cogitando normam esse.

Subiectivismus theoretice quidem totum cognitionis ambitum complectitur, practice autem et serio fere tantum ad cognitionem rerum *supersensibilium* applicari solet. In ordine enim sensibili eius absurditas nimis clare apparet. In rebus autem metaphysicis, itaque in philosophia theoretica, in ethica, in iis, quae religionem spectant, postulatur, ut individuum humanum sibi „libere formet et effingat", quae mente tenere velit. Hac ratione subiectivismus evadit *autonomismus* in cogitando. Autonomismus explicite enuntiat subiectum sibi legem in cogitando esse ideoque iure suo ab omni lege et auctoritate externa (maxime ab auctoritate fidei) in cogitando liberum esse.

Subiectivismus eodem modo, quo recens idealismus, paulatim aetate moderna ortus est. Maximum emolumentum ex philosophia kantiana nactus est, quae tota fere in eo versatur, ut subiectivitatem cognitionis defendat ac subiectum autonomum in cogitando et agendo constituat.

Th. 31. Subiectivismus naturam cognitionis et veritatis vitiat (1. p.), fundamenta religionis et moralitatis labefactat et ad veritatis vilipensionem et scepticismum ducit (2. p.).

Demonst. 1. p. A) *Natura cognitionis* intellectualis haec 233
est, quod cognitio est similitudo obiecti ab ea independentis, ut igitur homo in cogitando res tamquam normas sequi debeat, non vero ipse obiecta et veritatem producat. Haec semper fuit et adhuc est omnium persuasio. Quando homines iudicant, omne, quod fiat, causam exigere, cum principia mathematica perspiciunt, certum iis est haec non esse veritates a se productas, sed independentes. Ergo subiectivismus id negans et subiectum normam in cogitando constituens naturam cognitionis vitiat.

B) *Veritas* est conformitas intellectus cum re ab eo in- 234
dependenti. Atqui notiones veritatis, quas subiectivistae proponunt, hanc naturam veritatis vitiant. Ergo.

Demonst. min. Subiectivistae negantes, nos extra ordinem subiectivum egredi posse, dicunt veritatem esse conformitatem cognitionum cum legibus menti insitis vel cognitionum inter se; vel illam cognitionem veram habent, quae ab omnibus recta habeatur, quae definitio parum distat ab alia sententia admodum erronea, quae veritatem in conformitate cum opinionibus cuiusque aetatis reponit. Vel cognitionem non pro imagine, sed tantum pro symbolo quodam accipientes veritatem dicunt tantum esse conformitatem latius dictam, quam symbolum cum re significata habet, non vero stricte dictam, quam imago cum exemplari habet. Cf. n. 52. Iam vero hae notiones naturam veritatis vitiant. Etenim

a) Veritas non est *conformitas cognitionum cum legibus mentis* sive cognitionum inter se. Nam est conformitas cum rebus, non cum mente, quia res sunt norma cogitandi, non vero mens.

b) Veritas non in hoc consistit, quod cognitio ab omnibus *recta agnoscitur,* sed propterea ab omnibus recta agnoscenda est, quia vera seu ordini reali conformis est; non enim homines veritatem faciunt. Neque etiam horologia propterea rectum ordinem tenent, quia inter se consentiunt, sed quia tempori reali conformia sunt; et sicut multa horologia concorditer tempus falsum indicare possunt, etiam quaevis aetas communi consensu errores colere potest. Porro si veritas esset conformitas cum sententiis hominum, veritas mutabilis esset, quod sane absonum est.

c) Neque ad veritatem sufficit aliqua conformitas *symbolica.* Ad veritatem requiritur, ut res cognoscatur, ut in se est, si quis autem tantummodo symbolum rei apprehendit, non cognoscit rem ipsam.

235 **Demonst. 2 p.** A) *Subiectivismus fundamenta religionis et moralitatis* labefactat. Nam secundum subiectivismum Deus, fundamentum praecipuum religionis, nihil est nisi subiectiva repraesentatio, cui forte affectio religiosa se adiungit, sed non est ens supremum ab homine independens; ad hoc unum

autem religio genuina refertur. Pariter norma moralitatis, legislator, immortalitas, quae fundamenta moralitatis sunt, tantum subiectiva phaenomena et fictiones evadunt.

Speciatim subiectivismus etiam propterea moralitati et religioni fundamentum subtrahit, quod hominem *autonomum* in cogitando reddit. Quae autonomia sponte ad veritates illas aversandas propensa est, quae independentiae humanae adversantur, quales sunt veritates de Deo et lege divina.

B) *Subiectivismus ad veritatis vilipensionem ducit.* Nam, 236
in rebus saltem metaphysicis, ex veritate homini superiore et ab eo independenti facit „veritatem" ab homine dependentem, quae indolem individualem sequi debeat. Hoc pacto autem religiosa veritatis veneratio minuitur periculumque gravissimum inducitur, ne veritas placitis hominis inservire cogatur et (in pragmatismo) usque ad utilitatis gradum deprimatur.

Subiectivismus ad scepticismum ducit. Docet enim, nos nulla obiecta, sicut in se sunt, vel saltem nullam ordinis supersensibilis veritatem obiectivam cognoscere posse. Etenim theoretice quidem omnes, practice tamen et serio fere tantum cognitiones metaphysicas activitates mere subiectivas habet easque plerumque affectui sive „fidei" tribuit, quae ex animi indigentia proveniat. Sed haec „fides", nulli rationum cognitioni innixa, nequit persuasio genuina esse, sed potius caeca et irrationalis est ideoque in ente rationali, in tempus saltem diuturnum, esse non potest. (Confer infra de irrationalismo.) Iam vero ita subiectivismus ad scepticismum ducit vel totalem vel saltem partialem, nempe agnosticismum, qui supersensibilem veritatem obiectivam attingi posse negat.

Art. 3. De criticismo Kantiano

Immanuel Kant 1724 Regiomonti (Königsberg) in Po- 237
russia natus est et in eadem continuo urbe vitam hominis studiis dediti egit usque ad obitum 1804. Nullus alius philosophus saeculo elapso aeque celebratus est neque alius

aetate recentissima aeque ab iis, qui a veritate christiana dissident, tanquam lumen sapientiae post saecula ortum celebratur ac Kant. Nec mirum. Magna enim inter ideas modernas et praecipua philosophiae kantianae capita conspiratio exsistit.

Kant magnus est critico ingenii acumine, insolita vi et constantia in cogitando, quae quaestiones usque ad finem persequitur, magnus facultate constructiva et accuratione quadam philosophica, magnus denique praesertim influxu latissimo, quem in aetatem coaevam et posteram exercuit. Sed non magnus est veritate. Summa enim eius philosophiae perniciosa est, fortasse contra eius voluntatem, reapse tamen. Ad magnum autem philosophum imprimis postulatur, ut magna praestet ad veritatem amplificandam, non vero ad destruendam. Sicut non ille princeps nomen magni meretur, qui ingenio quidem et industria excellit, attamen rem publicam potius destruit quam auget, sic nec Kant magnus philosophus dici potest.

Celebritatem maxime adepta est eius doctrina de cognitione et philosophia moralis. Doctrinam de cognitione in duobus libris proponit. Praecipuum opus est „Critica rationis purae[1]). Huius operis quaedam synopsis est liber alius „Prolegomena“[2]). Licet „Critica rationis purae“ dictione vix non intolerabili et quidem magis quam alia opera conscripta sit et claritate praeter solitum careat, ut de mente auctoris perpetuo litigetur, tamen primus philosophiae modernae liber habetur.

238 **Systematis expositio.** Kant aliquamdiu dogmatismo rationalistico addictus fuit, qui philosophiae *Chr. Wolff* († 1754) proprius erat. Sed lectione operum *Hume* in gravia dubia coniectus simulque animadvertens magnas in metaphysica tractanda dissensiones ante omnia inquisitionem rationis instituendam esse putavit, nempe hanc, quomodo scientia et

[1]) Kritik der reinen Vernunft 1781, [2]1787. — [2]) Prolegomena zu jeder künftigen Metaphysik 1783.

praesertim quomodo metaphysica sive scientia supersensibilium i. e. rerum, sicut in se sunt, possibilis sit.

Inquisitio eius ad hanc *conclusionem* venit, cui medium locum inter dogmatismum et scepticismum ascribit: res sensibiles intellectui quidem cognoscibiles esse, verum non quales in se sint, sed sicut nobis appareant, seu cognoscibilia esse rerum „phaenomena"; attamen impossibilem esse scientiam de „supersensibilibus". Pro supersensibilibus autem omnes res habet, sicuti in se ipsis sunt, pro sensibilibus rerum apparentias seu phaenomena. Ex quo concludit scientiam metaphysicam impossibilem esse. Haec inquirere et ostendere studet evolvendo ex ordine totum processum cognitionis nostrae.

1. Cognitionum elementa a priori et a posteriori. Kant incipit a sta- 239
tuenda affirmatione cognitiones nostras ex duplici elemento coalescere. Unum esse a posteriori sive empiricum, experientia haustum, alterum *a priori,* quod experientiam antecedat et a formis nobis innatis oriatur quodque propterea pure subiectivum sit. Elementa a priori omnia illa esse ait, quae universalitatem et necessitatem contineant; experientiam enim tantummodo individualia et contingentia exhibere.[1]) Hunc gravem errorem sine probatione toti inquisitioni praemittit, quidquid in cognitionibus universale sit, activitatem esse pure subiectivam.

Ad scientiam autem Kant postulat, ut sit complexus cognitionum universalium et necessariarum. Ideo quaestio

[1]) „Experientia quidem nos docet aliquid ita vel ita se habere, non autem aliter se habere non posse . . Secundo: Experientia iudiciis suis numquam veram seu strictam, sed tantum acceptatam et comparativam universalitatem confert." „Necessitas igitur et stricta universalitas certa criteria alicuius cognitionis a priori sunt." „Erfahrung lehrt uns zwar, daß etwas so oder so beschaffen sei, aber nicht, daß es nicht anders sein könne . . Zweitens: Erfahrung gibt niemals ihren Urteilen wahre oder strenge, sondern nur angenommene und komparative Allgemeinheit." „Notwendigkeit und strenge Allgemeinheit sind also sichere Kennzeichen einer Erkenntnis a priori." Kritik d. r. V. Einleitg. II.

initio posita, quomodo scientia et praesertim metaphysica possibilis sit, in hanc convertitur, qua ratione rerum cognitiones universales et necessariae possibiles sint. Ideo inquirere studet, qualia eiusmodi elementa aprioristica in nobis inveniantur, quibus res experientia oblatas formemus, et quomodo rebus applicari possint ad ordinatum complexum cognitionum universalium obtinendum; i. e. instituendam esse „criticam rationis purae". „Rationem puram" enim intellegit rationem theoreticam, quae ab omni obiecto reali, experientia hausto, evacuata solisque formis a priori instructa sit. Itaque cognitiones nostras in elementa sua dividere incipit, ut sic elementa a priori inveniat.

240 **2. Iudicia synthetica a priori.** Kant quaestionem suam, quomodo scientia possibilis sit, statim ab initio etiam sic proponit, quomodo iudicia synthetica a priori possibilia sint. Ipse quoque iudicia *analytica* et *synthetica* distinguit. Analyticum iudicium illud vocat, cuius praedicatum in subiecto contineatur, syntheticum vero, in quo praedicatum extra notionem subiecti sit. Omne iudicium analyticum a priori esse docet, omne autem, quod in experientia nitatur, syntheticum a posteriori. Sed iudicium syntheticum a posteriori putat non posse esse nisi particulare et contingens ideoque in scientiis parvi esse momenti. Attamen exsistere praeterea, inquit, iudicia universalia, quae non ex analysi notionum, sed neque etiam ex experientia hauriri possint, cum universalia sint; talia esse iudicia synthetica a priori.

Haec iudicia omnium *praecipua* et principia scientiarum esse contendit. Una enim ex parte ea universalia et necessaria esse, alia vero ex parte non puras esse subiecti declarationes, quales iudicia analytica sint, sed augere cognitionem, cum subiecto praedicatum novum adiungant. [Revera autem iudicia synthetica a priori impossibilia sunt, quia neque in analysi notionum neque in experientia niti dicuntur ideoque illusiones subiectivae sunt. Kant enim iudicium analyticum, a quo syntheticum distinguit, nimis restringit. Iudicium analyticum est omne illud, in quo

ratio nexus ex analysi subiecti et praedicati perspicitur, non vero, in cuius subiecto *notio* praedicati invenitur.] Multa exempla talium iudiciorum, omnia utique falsa, affert.

Gravissima igitur quaestio criticae secundum philoso- 241
phum nostrum haec esse debet: *quomodo iudicia synthetica a priori possibilia sint* seu de quibus rebus et quo iure enuntiari queant, num iis speciatim de rebus metaphysicis aliquid legitime enuntiare possimus. Inquisitio in fine ad conclusionem venit, ea in ordine phaenomenorum sensibilium fieri posse, non vero ultra; seu aliter: iudicia synthetica a priori possibilia esse in mathesi et scientia naturali („physica"), non vero in metaphysica.

Varia exempla iudiciorum syntheticorum a priori affert, quae tamen illegitima sunt: „In omnibus scientiis theoreticis rationis iudicia synthetica a priori tamquam principia insunt. Iudicia mathematica omnia sunt synthetica. Primo quidem aspectu propositio $7 + 5 = 12$ videtur tantum esse analytica [revera est analytica]. [Sed] notio 12 nullo pacto eo ipso cogitatur, quod coniunctionem inter septem et quinque cogito . . Lineam rectam inter duo puncta brevissimam esse propositio synthetica est [revera analytica est] . . Principia scientiae naturalis (Physicae) sunt iudicia synthetica a priori . . v. g. in omnibus mundi corporei mutationibus quantitatem materiae manere immutatam" [haec est propositio synthetica a posteriori, quatenus per experientiam colligitur, analytica vero, si a priori demonstrari potest]. — „Etiam in metaphysica, etsi tantum pro scientia hucusque tentata habeatur, cognitiones a priori contineri dicuntur" [sed eas illusiones esse docet].

„Propria igitur quaestio Criticae rationis purae haec est: Quomodo iudicia synthetica a priori possibilia sunt?"[1])

[1]) „In allen theoretischen Wissenschaften der Vernunft sind synth. Urteile a priori als Prinzipien enthalten. Mathematische Urteile sind insgesamt synthetisch . . Man sollte anfänglich zwar denken, daß der Satz $7 + 5 = 12$ ein bloß analyt. Satz sei. [Aber] der Begriff von zwölf ist keineswegs dadurch schon gedacht, daß ich mir bloß jene Vereinigung von sieben und fünf denke . . Daß die gerade Linie zwischen zwei Punkten die kürzeste sei, ist ein synthetischer Satz. Denn mein Begriff vom Geraden enthält nichts von Größe, sondern nur eine Qualität." „Naturwissenschaft (Physica) enthält synth. Urteile a priori als Principien in sich. Ich will nur ein paar Sätze zum Beispiel anführen, als den Satz, daß in allen Veränderungen der körperlichen Welt die Quantität der Materie unverändert bleibe" usw. — „In der Metaphysik,

242 **3. Triplex facultas.** His praestitutis Kant ad inquisitionem singularum facultatum accedit. Triplicem autem facultatem distinguit: sensibilitatem (Anschauungsvermögen), intellectum (Verstand), rationem (Vernunft); sensibilitatem iterum internam et externam distinguit, prout vel propria vel externa phaenomena exhibet. Sensibilitas intuitiones (Anschauungen) producit, quarum obiecta phaenomena (Erscheinungen) sunt. Intellectus iudicando intuitiones in unitatem redigit itaque ex intuitione oritur „cognitio" (Erkenntnis). Ratio denique iudicia intellectus ad ulteriorem revocare conatur unitatem.

„Omnis cognitio nostra a sensibus incipit, inde ad intellectum procedit et in ratione terminatur." „Facultas, qua repraesentationes accipimus per modum, quo rebus afficimur, dicitur sensibilitas. Per sensibilitatem igitur obiecta nobis dantur et ipsa sola intuitiones producit; per intellectum autem cogitantur et ex eo oriuntur conceptus. Omnis autem cogitandi activitas ultimo intuitiones respicere debet, quia alio modo res nobis dari non potest."[1]) In hac assertione sine probatione statuta iam continetur veritatis supersensibilis negatio.

In singulis facultatibus inquirit, quale sit elementum aprioristicum sive *formale*, formans materiam oblatam, et quale *materiale*. Elementum materiale facultati forinsecus advenit eamque ad repraesentandum excitat, formale est modus seu forma a priori innata, qua materia oblata a facultate concipitur seu formatur.

---

wenn man sie auch nur für eine bisher bloß versuchte Wissenschaft ansieht, sollen synthet. Erkenntnisse a priori enthalten sein." Kritik d. r. V. Einleitg. V.

„Die eigentliche Aufgabe der reinen Vernunft ist nun in der Frage enthalten: Wie sind synth. Urteile a priori möglich?" L. c. VI.

[1]) „Alle unsere Erkenntnis hebt von den Sinnen an, geht von da zum Verstande und endigt bei der Vernunft." Transz. Dial. Einleitg. II. A. „Die Fähigkeit, Vorstellungen durch die Art, wie wir von Gegenständen affiziert werden, zu bekommen, heißt Sinnlichkeit. Vermittelst der Sinnlichkeit also werden uns Gegenstände gegeben und sie allein liefert Anschauungen; durch den Verstand aber werden sie gedacht und von ihm entspringen Begriffe. Alles Denken aber muß sich zuletzt auf Anschauungen beziehen, weil uns auf andere Weise kein Gegenstand gegeben werden kann." Transz. Ästh. § 1.

4. Sensibilitas. Elementum materiale cognitionis sensibilis 243
est impressio (Empfindung), quae rebus externis (quas Kant simpliciter supponit) in sensibilitate excitatur, et consistit in qualitatibus sensibilibus, colore, sono aliisque, quae propterea pure subiectivae esse dicuntur. Elementum formale sensibilitatis externae est *spatium* sive extensio, internae vero elementum formale est *tempus* sive duratio. Nam spatium et tempus in omnibus intuitionibus sensibilibus universaliter et necessario inveniuntur, ut intuitiones aliter possibiles non sint. Formae spatii et temporis in se solis spectatae vacuae sunt a materia empirica ideoque purae vocantur (reine Anschauungsformen); sed impressionibus applicatae efficiunt ex iis intuitiones empiricas. Ex eo concluditur spatium et tempus non esse quidquam reale, sed solum modos subiectivos intuitionis.

„Spatium non est ulla qualitas rerum in se ipsis . . i. e. non est proprietas, quae rebus ipsis inhaereret." — „Tempus igitur extra subiectum nihil est." Immo non solum spatium et tempus, sed etiam elementum materiale, quod res primum nobis obicere dicuntur, scilicet qualitates sensibiles, producta subiectiva sunt: „Colores merito non tamquam qualitates corporum, sed tantum modificationes subiecti concipiuntur."[1])

Nihil igitur in intuitionibus inest, quod reale sit, quod non sit „phaenomenon" seu verius loquendo fictio: „Voluimus igitur dicere, omnem intuitionem nostram nihil esse nisi repraesentationem phaenomeni, neque res, quas intueamur, in se ipsis tales esse, quales intueamur. Quales sint res in se, nos penitus latet. Nihil nobis innotescit nisi modus noster, quo res percipimus, qui nobis proprius est et qui omni quidem homini, sed non necessario omnibus entibus competit."[2])

[1]) „Der Raum stellt gar keine Eigenschaft irgend einiger Dinge an sich oder sie in ihrem Verhältnis auf einander vor d. i. keine Bestimmung derselben, die an den Gegenständen selbst haftete" (l. c. § 3). — „Die Zeit ist also außer dem Subjekte nichts" (§ 6). „Meine Vorstellungen folgen einander; aber das heißt nur, wir sind uns ihrer als in einer Zeitfolge d. i. nach Form des innern Sinnes bewußt" (§ 7). „Die Farben werden mit Recht nicht als Beschaffenheiten der Dinge, sondern bloß als Veränderungen unseres Subjekts betrachtet" (§ 3). — [2]) „Wir haben also sagen wollen, daß alle unsere Anschauung nichts als die Vorstellung von Erscheinung sei; daß die Dinge, die wir anschauen, nicht das an sich selbst sind, wofür wir sie anschauen . .

244 **5. Intellectus.** a) Elementum materiale cognitionis intellectualis intuitiones sunt, quae a sensibilitate intellectui offeruntur. Formale autem elementum praesertim in 12 supremis conceptibus universalibus consistit a priori intellectui insitis, quae *categoriae* appellantur (reine Verstandesbegriffe, Stammbegriffe). Quae tamen non tantopere ut conceptus quam potius ut regulae concipiuntur, quibus intellectus in iudiciis formandis regi dicitur. His categoriis ex intuitionibus sensibilibus formantur cognitiones intellectuales, quibus iam obiecta tamquam res, substantiae, causae etc. cognoscuntur.

Categorias Kant ex varietate iudiciorum deducit. Omne iudicium quantitatem, qualitatem, relationem, modalitatem habere dicitur. Ita, dispositione artificiose excogitata, quatuor ternarios categoriarum invenit, quae singulae singula iudicia regant. Categoriae igitur hae enumerantur: (Quantitas:) unitas, multitudo, universitas; (Qualitas:) realitas, negatio, limitatio; (Relatio:) substantia et accidens, causa et effectus, influxus mutuus; (Modalitas:) possibilitas et impossibilitas, esse et non esse, necessitas et contingentia.[1]) His primitivis alias ideas derivatas (abgeleitete Begriffe) addit, e. g. actionem, passionem, potentiam, quas e categoria causalitatis deducit.

Categoriae *purae formae cogitandi* sunt, in se spectatae ab omni obiecto vacuae: „Per categorias nullum obiectum designatur, sed tantum exprimitur obiecti secundum diversos modos cogitatio."[2])

Was es für eine Bewandtnis mit den Gegenständen an sich haben möge, bleibt uns gänzlich unbekannt. Wir kennen nichts als unsere Art, sie wahrzunehmen, die uns eigentümlich ist, die auch nicht notwendig jedem Wesen, obzwar jedem Menschen zukommen muß (§ 8).

[1]) Tafel der Kategorien (Transz. Logik 1, 1, I, 3):

1. Der Quantität:	2. Der Qualität:
Einheit, Vielheit, Allheit	Realität, Negation, Limitation
3. Der Relation:	4. Der Modalität:
der Inhärenz und Subsistenz	Möglichkeit — Unmöglichkeit
der Kausalität und Dependenz	Dasein — Nichtsein
der Gemeinschaft (Wechselwirkung)	Notwendigkeit — Zufälligkeit.

— [2]) „Durch eine reine Kategorie wird kein Objekt bestimmt, sondern nur das Denken eines Objektes nach verschiedenen Modis ausgedrückt." L. c. 2, 3.

b) Sic igitur possibilia sunt, id quod quaerebatur, et 245
sic oriuntur iudicia illa *synthetica a priori* et quidem per se modo uniformi in omnibus hominibus: sensibilitas a rebus transcendentibus ignotis impressionem accipit, impressio autem primum formis spatii et temporis ad phaenomena spatialiter et temporaliter determinata, deinde categoriis ad res sic vel aliter scientifice conceptas formatur.

In hoc egregia illa *cognitionis falsificatio* continetur, qua Kant dux moderni subiectivismi autonomi factus est: valor obiectivus cognitionis humanae non in eo situs est, quod cognitio obiectis ut normis regitur, sed quod cognitio construit obiecta. Haec falsificatio ceterum iam in suppositione initio facta inest, qua statuitur hominem in se gerere elementa a priori, quibus obiecta formet.

„Categoriae sunt conceptus, qui phaenomenis, proinde naturae, quae phaenomenorum complexio est, leges a priori praescribunt." „Quamvis igitur exaggeratum, quamvis absurdum videatur dicere: intellectus ipse est fons legum naturae, tamen vera est ista affirmatio." „Usque adhuc supposuerunt omnes cognitiones nostras debere esse obiectis conformes. Faciamus experimentum, successumne feliciorem in quaestionibus metaphysicis nanciscamur, si supponamus obiecta debere esse conformia cognitionibus nostris."[1]).

In systemate hoc loco quaestio nascitur, quomodo intellectus inducatur ad hos potius quam alios conceptus intuitionibus applicandos, cur necessario ita et non aliter intuitiones in generalia illa iudicia synthetica colligat. *Facultas imaginationis* inter intuitiones et categorias mediatricem agit, quatenus ex intuitionibus imagines quasdam communes efficit (sinnliche Allgemeinanschauung, Schemata) cum categoriis quodammodo concordantes et sic intellectum ad certas categorias applicandas inducit. E. g. quando imaginatio permanentiam phaenomenorum ex-

[1]) „Kategorien sind Begriffe, welche den Erscheinungen, mithin der Natur als dem Inbegriff der Erscheinungen Gesetze a priori vorschreiben." L. c. 1, 1, II 2. „So übertrieben, so widersinnig es also auch lautet zu sagen: der Verstand ist selbst der Quell der Gesetze der Natur, so richtig und dem Gegenstande, nämlich der Erfahrung, angemessen ist gleichwohl eine solche Behauptung." L. c. II 3. „Bisher nahm man an, alle unsere Erkenntnis müsse sich nach den Gegenständen richten . . Man versuche es daher einmal, ob wir nicht in den Aufgaben der Metaphysik damit besser fortkommen, daß wir annehmen, die Gegenstände müssen sich nach unserer Erkenntnis richten." Vorrede.

hibet sensu apprehensam, intellectus categoriam substantiae applicat, quando vero successionem diversorum, causalitatem.

246 c) E quibus omnibus Kant iam concludit, nos tantum *phaenomena, numquam noumena cognoscere.* Phaenomena (Erscheinungen) dicuntur rerum apparentiae seu modi, quibus res nos afficiant; non sunt igitur res ipsae, quales in se sunt, sed nostrae affectiones, quas res ignotae excitare dicuntur. Noumena illa dicuntur, quae sensu attingi nequeant, praesertim res in se spectatae, quae phaenomenis subsint (Ding an sich).

Haec conclusio, quae a pleno idealismo et scepticismo vix differt, ita demonstratur: obiectum reale (Kant non agnoscit obiectum reale praeter reale physicum) tantum intuitione apprehendi potest, quae in nobis sensibilis est; sensibilis autem intuitio numquam res, ut in se sunt, sed tantum modum, quo ab ipsis afficitur i. e. phaenomena rerum cognoscit.

„Natura nostra secum fert, ut intuitio numquam alia nisi sensibilis esse possit, i. e. ut tantum modum contineat, quo a rebus afficimur . . Sine sensibilitate nullum obiectum nobis daretur et sine intellectu nullum cogitaretur." „Ex quo certo sequitur puros conceptus intellectuales numquam admittere usum transcendentalem [„qui contingit res in se spectatas"] et axiomata intellectus puri tantum ad obiecta sensuum, numquam vero ad res generatim referri posse."[1])

247 **6. Rationis** denique elementum materiale sunt iudicia intellectu formata, elementum formale tres *ideae*. „Ideae" autem dicuntur normae quaedam rationi a priori innatae,

[1]) „Unsere Natur bringt es so mit sich, daß die Anschauung niemals anders als sinnlich sein kann, d. i. nur die Art enthält, wie wir von Gegenständen affiziert werden . . Ohne Sinnlichkeit würde uns kein Gegenstand gegeben und ohne Verstand keiner gedacht werden. Gedanken ohne Inhalt sind leer, Anschauungen ohne Begriffe sind blind." Transz. Log. Einl. I. 1. 2. „Hieraus fließt nun unwidersprechlich: daß die reinen Verstandsbegriffe niemals von transzendentalem [„auf die Dinge an sich bezogen"], sondern jederzeit nur von empirischem Gebrauche [„bloß auf Erscheinungen bezogen"] sein können und daß die Grundsätze des reinen Verstandes nur auf Gegenstände der Sinne, niemals aber auf Dinge überhaupt bezogen werden können." Transz. Logik, 1, 2, III.

quae eius ratiocinationes dirigunt, nempe idea psychologica „ego", idea cosmologica „mundus", idea theologica „Deus". Ratio videlicet omnia phaenomena interna ultimo loco ad ego seu animam ut subiectum cogitans referre conatur, ea vero, quae ad naturam pertinent, ad totalitatem mundi, universa denique ad Deum ut causam intellegentem refert. Ita tota metaphysica (specialis) ortum nanciscitur.

Ideae sicut categoriae innatae sunt. Attamen non parum a categoriis differunt. Categoriis enim a sensibilitate obiectum conveniens dari potest et sic „valorem obiectivum" accipiunt. Ideis vero non potest tale obiectum dari, quia obiectum absolutum et ultimum habere et naturam rerum seu noumena attingere volunt; haec autem per sensibilitatem afferri nequeunt. Nihilominus ideae invicibili inclinatione hominem ad has quaestiones metaphysicas scrutandas impellunt, acsi reapse attingi possent („transzendentaler Schein"), et sic eum in continuas sophisticationes et illusiones inducunt. Philosophiae munus est has sophisticationes aperire.

Kant tandem aliquando has sophisticationes, quas ratio in metaphysica tractanda committit, clare demonstrare vult. Atque haec se invenisse affirmat: in psychologia ratio probando animae substantialitatem, spiritualitatem, unitatem perpetuis paralogismis (Fehlschlüsse) se implicat; in cosmologia variae theses de mundi initio, contingentia et aliis ostendi, sed aeque stricte oppositae „antitheses" demonstrari possunt („Die Antinomien der reinen Vernunft"); in theologia vero Kant forti manu argumenta omnia, quae ad exsistentiam Dei demonstrandam afferri solent, convellere aggreditur.

7. Conclusio. Tristis igitur terminus, ad quem critica ra- 248
tionis purae pervenit, hic est:

a) Tantum obiecta sensibilia cognoscimus et de iis nonnisi *phaenomena*, non vero res in se seu noumena. De phaenomenis intellectus *secundum leges subiectivas* ipsi innatas cogitat. Res extra nos exsistere Kant certum esse dicit (licet in hoc vehementer sibi contradicat, cum nihil plane attingamus, quod subiectivum non sit), sed quales sint nos nescire, res manere nobis ignotum x. Hac ratione Kant in perfecto idealismo haeret.

Idealismus kantianus *transcendentalis* appellatur. Kant enim inquisitionem suam criticam „transcendentalem" vocare solet. Transcendentalem nempe illam investigationem appellat, quae inquirit, quid per formas aprioristicas cognosci queat seu num et quomodo obiecta experientiae per formas a priori cognosci possint.

Ergo mathesis et scientiae naturales possibiles esse dicuntur, si quidem phaenomenis contentae esse volunt. Sed *metaphysica* tamquam scientia impossibilis est.

249 Duos igitur magnos errores criticismus kantianus in unum coniungit: 1. *empirismum phaenomenalisticum,* quatenus cognitionem supersensibilium negat, 2. *rationalismum idealisticum,* quatenus omnia obiecta a nobis poni asserit mentemque humanam autonomam efficit.

Plato, Aristoteles et veteres scholastici evidentia naturali ducti merito ordinem realem eiusque cognoscibilitatem affirmant. Sed nondum satis huius cognoscibilitatis rationem scientificam reddunt. Aetate recentiore haec in facultatem cognoscendi inquisitio magis magisque desiderari atque etiam institui coepit, primum a Cartesio et empiricis anglicis, sed nondum satis et systematice, postmodum autem systematice et profunde a Kant. Inde magna ex parte ille applausus, quem Kant nactus est. Rationalismus et empirismus praekantianus graviter errarunt; ille despiciendo experientiam soliditatem scientiae, alter despiciendo cogitationem omnem scientiam interimebat. Kant ex utroque, quae recta erant, coniungere et utriusque errores removere voluit. Reapse autem utriusque errores gravissimos in unum novum systema coniunxit.

250 b) Sed Kant veritates sublimiores, sine quibus vita humana esse nequit, non penitus auferre sive omnem metaphysicam tollere vult. Idcirco alio modo illas veritates salvare aliamque metaphysicam creare instituit. Cum ratio theoretica eas sustinere et demonstrare nequeat, ad *rationem practicam* confugit. „Rationem practicam" vocat illam facultatem, quae vitam moraliter bonam postulet et leges

recte vivendi praescribat; quae tamen ex eius mente non est proprie dicta ratio cognoscens et enuntians verum, sed potius voluntas praescribens et decernens. Ratio igitur practica[1]) postulat, ut vita moraliter bona agatur. Sed haec impossibilis est, nisi quaedam veritates metaphysicae firmiter teneantur. Propterea eadem ratio eas postulat. Demonstrari quidem minime possunt, attamen sunt „postulata rationis practicae", propter exigentiam vitae moralis. Non igitur assensu et persuasione intellectuali, rationibus innixa, tenentur, sed persuasione quadam morali, „fide", postulatione.

Tales veritates potissimum hae sunt: (1) *libertas voluntatis,* quam Kant in eo reponit, quod voluntas a dominio sensibilitatis independens est. Talem libertatem (quae tamen non est perfecta libertas electionis) ratio practica postulat, quia aliter voluntas heteronomiae subiecta esset, quae moralitatem impediret. (2) *Immortalitas animae.* Lex enim moralis postulat, ut summum bonum omnis voluntatis, sanctitas et beatitudo, obtineatur. Sanctitas autem propter impedimentum sensibilitatis in hac vita obtineri nequit ideoque in futura „per progressum infinitum" magis magisque perficienda est. (3) *Exsistentia Dei.* Nam lex postulat, ut aliquando debita harmonia inter virtutem et beatitudinem constituatur, quae per Deum obtinenda est.

Hac de re Kant ita scribit: „In ratione practica exigentia, in obligatione fundata, inest, ut aliquid (summum bonum) mihi obiectum voluntatis faciam viribusque omnibus promoveam; in qua tamen re eius possibilitatem ideoque etiam condiciones ad id necessarias, scilicet Deum, libertatem, immortalitatem supponere debeo, quia ratione speculativa ea demonstrare nequeo, sed neque etiam refutare valeo."[2])

[1]) Haec exponit in Grundlegung zur Metaphysik d. Sitten (1785) et Kritik d. praktischen Vernunft (1788). — [2]) „Dagegen ist ein Bedürfnis der reinen praktischen Vernunft auf einer Pflicht gegründet, etwas (das höchste Gut) zum Gegenstande meines Willens zu machen, um es nach allen meinen Kräften zu befördern; wobei ich aber die Möglichkeit desselben, mithin auch die Bedingungen dazu, nämlich Gott, Freiheit und Unsterblichkeit voraussetzen muß, weil ich diese durch meine spekulative Vernunft nicht beweisen, obgleich auch nicht widerlegen kann." Kritik der prakt. Vernunft, 1. Teil, 2. Buch, 2. H. VIII.

Th. 32. In systemate critico Kantii multa sine ratione sufficienti statuuntur et graves contradictiones continentur (1. p.). Idem systema non solum omnem genuinam metaphysicam destruit, sed etiam ad plenum scepticismum ducit (2. p.) atque germina gravissimorum aetatis nostrae errorum continet (3. p.).

251 **Demonst. 1. p.** *Multa sine ratione sufficienti statuuntur.* 1. Sine ratione sufficienti affirmatur ideas et generatim cognitiones universales innatas esse, quod ab experientia haustae esse nequeant, et propterea etiam mere subiectivas esse. Facultas quidem abstrahendi intellectui a natura inest, attamen ideae universales innatae non sunt, sed ex rebus individualibus abstrahuntur, earumque obiecta universalia quoad id, quod concipitur, in rebus sunt. Neque, si innatae essent, propterea necessario subiectivae essent.

2. *Iudicia synthetica a priori* temere construuntur. Nam a) iudicium analyticum in definitione kantiana nimis restringitur; non enim illud iudicium est analyticum, in cuius subiecto *notio* praedicati, sed in quo ex analysi subiecti et praedicati *ratio* nexus utriusque invenitur. Ideo pleraque, quae Kant iudicia synthetica a priori esse censet, analytica sunt, alia quae affert, synthetica a posteriori sunt. — b) Deinde iudicia synthetica a priori, quippe quae neque in analysi conceptuum neque in experientia nituntur, nihil nisi fictiones subiectivae sunt.

3. *Sensibilitatem* quod attinet, imprimis non apparet ratio, cur non etiam „impressionibus", quae pariter subiectivae sunt, formae a priori assignentur. Praeterea verum non est, spatium et tempus nullo modo realia esse; neque rationes a Kant allatae id probant. Cf. n. 169.

4. *Categorias* omni valore obiectivo carere gratis et falso affirmatur. Immerito enim Kant supponit, essentias universales et metaphysicas, quas categoriarum conceptus repraesentant, omni realitate a cogitatione independenti carere. Etiam numerus categoriarum arbitrarius est. Neque elucet, quomodo materia et forma ad sensibilitatem

et intellectum, ad diversas igitur facultates pertinentes in unam cognitionem intellectualem ita coniungantur, sicut fingitur. Denique gratis admittitur, ab omnibus cognitiones eodem modo confici, cum de exsistentia aliorum hominum nihil sciri possit.

5. Admitti nequeunt, quae de *ideis* dicuntur. Etenim verum non est, eas innatas esse, nos per eas legitime ex ordine sensibili egredi non posse, sed constanter in illusiones trahi. Pariter, quae de paralogismis psychologiae, de antinomiis cosmologiae, de argumentis theisticis proferuntur, non quidem acumine, attamen veritate carent. Neque elucet, cur ideis minor valor obiectivus concedendus sit quam categoriis, cum omnes aeque tantum fictionibus fingendis occupentur.

B) *Graves contradictiones continentur.* 1. Kant serio 252
dubitat, num res in se cognoscere possimus, et postea explicite id negat. Nihilominus *rationem, ut in se est,* investigare aggreditur eamque accurate se perspexisse postea enuntiat, quas nempe formas habeat, quid valeat quidque non. In quo aperta contradictio continetur.

2. Affirmat *res externas exsistere* easque causas impressionum sensibilitatis esse. Tamen continuo demonstrat nos id minime scire posse. Conceptus enim et principium causalitatis ex mente eius subiectiva sunt, rebus in se spectatis nullo pacto applicabilia; item notiones „exsistens", „possibile" omnesque aliae, quibus res illae concipiendae essent, subiectivae sunt.

3. Aliis denique contradictionibus idealistarum et positivistarum se implicat.

Demonst. 2. p. A) *Systema omnem genuinam metaphysicam* 253
destruit. Metaphysica enim est scientia de rebus superempiricis. Hanc autem criticismo destrui tum auctor eius explicite asserit tum totum systema ostendit, praesertim id, quod de ratione et ideis affirmat.

Kant in eius locum *novam metaphysicam* subrogare conatur, non intellectualem, sed voluntaristicam, quae veri-

tates non assensu intellectuali propter rationes cognitas, sed mera „postulatione“ teneat, cum persuasione et certitudine „morali“. Attamen haec metaphysica non est genuina, sed potius naturae rationali contraria. Etenim veritates tamquam certas tenere et persuasionem habere ad intellectum spectat, non vero ad voluntatem, et persuasio tantum adesse potest, si rationes cognoscuntur, non autem caeco impetu produci potest intellectu dubitante. Kant quidem gloriatur, se hac ratione veritates nobilissimas, eas intellectui subtrahendo, ab impugnationibus intellectus in tuto collocasse itaque firmiter stabilivisse. Quae tamen egregia deceptio est.

Verum quidem est tres veritates supra allatas necessarias esse ad vitam moralem, et fortasse etiam hac ratione argumentatione intellectuali demonstrari possunt (quamquam non ita sicut Kant loquitur). Attamen haec demonstratio non est unica; et sic veritates non iam postulata rationis practicae essent, sed cognitiones intellectuales demonstratione comparatae.

254 B) *Systema ad plenum scepticismum ducit.* Secundum Kant supersensibilia penitus ignoramus. Rerum autem sensibilium tantum phaenomena subiectiva percipimus, ex quibus ad res externas legitime concludi non potest, ut supra dictum est. Itaque omnes cognitiones humanae nihil sunt nisi somnia a subiecto producta: mundus phaenomenon est, de quo somniamur, ego somnians somnium est, neque ipse actus, quo somniamur, res in se est, sed iterum phaenomenon apparens.[1])

[1]) Summam Criticae concinne *Ed. v. Hartmann* ita complectitur: „Nun besteht der Traum ohne Träumer nicht mehr wirklich, nun träumt er bloß noch sein eigenes Desein, nun wird es zum Traum, daß ein Traum sich fortspinne. Der Schein scheint nicht mehr in Wahrheit, er scheint bloß noch zu scheinen . . Der Wahnsinn des eine Welt scheinenden Nichts gähnt uns an.“ Kritische Grundlegung des transz. Realismus[3] (1885) 47 s.

Ex his concludere licet, quam immerito Kant ita de systemate suo praesumpserit: „Kein Wechsel der Meinungen, keine Nachbesserungen oder ein anders geformtes Lehrgebäude kann ihr [der kritischen Philosophie] bevorstehen. Ihr System ruht auf völlig gesicherter Grund-

Demonst. 3. p. *Systema germina gravissimorum aetatis* 255
nostrae errorum continet.

1. Efficaciter promovet *positivismum* et *agnosticismum* atque profanum cogitandi vivendique modum, qui ex eo resultat. Kant enim ubique tamquam metaphysicae destructor celebratur isque vere est.

2. Kant praecipuus promotor *subiectivismi* moderni factus est, quia, natura cognitionis mutata, leges et indolem subiecti normam cogitandi facit. Sic *autonomiam* in cogitando inducit, quam plurimi homines moderni, iugi veritatis et dogmatum impatientes, sibi vindicant, ut libertate cogitandi utentes opiniones et doctrinas sibi forment, quae placent.

Sic etiam *pragmatismo* viam aperit, qui cognitionem, utpote meram affectionem subiecti sine valore obiectivo, utilitati inservire facit.

3. Per postulata rationis practicae inducit perniciosum illum *irrationalismum* fideisticum, qui religionem omnesque sublimiores veritates ab intellegentia separat et appetitioni et affectui tradit.

4. *Modernismi* parens factus est. Modernismus enim agnosticismum et fideismum in unum coniungit.

Quid Kant de philosophia morali et de religione doceat, 256
integritatis gratia paucis delineare iuvat.

1. *Philosophiam moralem* tractat potissimum in opere „Metaphysicae morum fundatio“ (Grundlegung zur Metaphysik der Sitten 1785) et in „Critica rationis practicae“ (Kritik der praktischen Vernunft 1788). Kant in philosophia morali potissimum intendit, ut puritatem summumque valorem boni moralis servet, ne secundum eudaimonismum

---

lage, ist auf immer befestigt und auch für alle zukünftigen Zeitalter zu den höchsten Zwecken der Menschheit unentbehrlich.“ (Jenaer Lit.-Zeitg. 1799 n. 199). „Es klingt arrogant“, scribit anno 1797, „selbstsüchtig und für die, welche ihrem alten System noch nicht entsagt haben, verkleinerlich zu behaupten, daß vor dem Entstehen der kritischen Philosophie es noch keine gegeben habe.“

mutetur in bonum utile vel delectabile sive in medium ad aliud bonum consequendum. Idcirco haec docet. Sola voluntas moraliter bona est et quidem solum, si propter officium et legem, non vero si propter aliud, propter aliquod bonum, sive temporale sive aeternum, consequendum agit; nam ita legaliter quidem agere posset, sed moraliter agere dici non posset. Lex autem, propter quam homo omnia agere debet, non potest esse externa. Nam quando propter legem externam alterius (etiam Dei) aliquid facit, propter bonum assequendum id facit, ut nimirum legislatoris gratiam consequatur. Si quis igitur moraliter agere vult, propter legem suam propriam internam agere debet, quam ratio practica ei praescribit quaeque *imperativus categoricus* nominatur. Haec lex homini innata est sicut leges cogitandi et quidem propter eandem rationem, quia nempe universalis et necessaria est.

Itaque sicut in cogitando, ita etiam in agendo homo *autonomus* redditur: voluntas sola sibi lex est et motivum. „Autonomia voluntatis", inquit Kant, „unicum principium est omnium legum moralium et officiorum inde emanantium."[1])

Rationi practicae praeterea tria postulata illa ascribuntur, quae supra commemorata sunt. Hac ratione super fundamento ethicae novam metaphysicam construere conatur.

257 2. *Religionem* quod attinet, Kant demonstrabilitatem Dei negando promotor quidem atheismi effectus est. Ipse tamen exsistentiam Dei personalis, tamquam postulatum quidem, attamen seria voluntate admittere videtur.[2]) Sed religiositatem sive cultum Dei non agnoscit, immo acriter impugnat. Religio secundum eum nihil aliud est nisi vita moraliter bona; quidquid homo praeterea faciendum esse putet, ut Deo placeat, superstitionem esse. Ideo religiones histo-

[1]) Kritik d. prakt. V., Elementarlehre I, 1 Lehrsatz IV. — [2]) Id etiam ex scriptis post mortem relictis non obscure elucet, prout ostendit *Adickes* in opere: Kants Opus posthumum (1920) 776 ss.

ricas (christianam), quae ceterum omnes ab hominibus inventae sint, illis quidem utiles esse, qui talibus adiumentis ad vitam bonam egeant, aliis vero (nempe perfectis) inutiles esse; certe veram religionem in hisce rebus minime esse reponendam. Dogmata christiana, si proprie accipiantur, res impossibiles continere; sed symbolice interpretanda esse, ut v. g. peccatum originale symbolum sit inclinationis hominis ad malum et ecclesia sit societas bonorum hominum. Divinitatem Christi, gratiam, sacramenta Kant non curat, orare videtur ei actio abominabilis.[1])

In philosophia kantiana Deus centrum vitae humanae esse desiit et in eius locum homo intravit, homo autonomus, qui ipse sibi lex est cogitandi et lex agendi. „Nervus philosophiae kantianae autonomismus est."[2]) Si non finis operantis spectatur, qui forte melior fuit, sed finis operis, philosophia kantiana illam modernam libertatem in systema doctrinale redigit, quae intellegitur plena hominis independentia ab omni auctoritate et lege externa, in vita potissimum intellectuali et morali. Philosophia kantiana est glorificatio illius moderni individui humani, quod independens suis solius legibus oboedit sibique plene sufficit, mutans gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis.

Art. 4. De positivismo sive agnosticismo •

Explicatur positivismus. 1. Positivismus seu empirismus 258
docet, ea solum, quae *experientiae* ambitu contineantur, sive facta „positiva", quae appellat, ab homine cognosci posse, alia vero, quae experientiam transcendant, a nobis ignorari. Idem, in quantum philosophice proponitur, ulterius asserit, per experientiam ipsam tantum rerum *phaenomena* nobis afferri i. e. modos, quibus res nos afficiant, non vero res, quales in se ipsis sint. Itaque non veritates solum meta-

[1]) Quaenam fuerit huius viri religiositas, collige ex iis, quae scribit in: Religion innerhalb d. Grenzen der bloßen Vernunft, 3. Stück I 7; 4. Stück II 2. 3. — [2]) *Willmann,* Geschichte d. Idealismus[2] III (1907) § 101.

physicas supersensibiles, sed res quaslibet, spectatas sicut in se sunt, menti humanae inaccessibiles esse. Haec posse esse obiecta imaginationis, fictionis, affectionis, „fidei", sed ab intellectu esse remota.

Proinde positivismus philosophicus simul *phaenomenalismus* est. Phaenomenalismus enim simili modo docet, nos non res, sicut in se sunt, sed tantum earum phaenomena seu modos, quibus nos afficiant, cognoscere posse.

Agnosticismus, qui dicitur, a positivismo vix differt. Profitetur enim pariter nos nihil cognoscere posse de rebus, quales in se ipsis sunt, nihil de veritatibus metaphysicis, sed tantum rerum phaenomena nos apprehendere. „Vi huius [agnosticismi] humana ratio phaenomenis omnino includitur, rebus videlicet, quae apparent, eaque specie, qua apparent; earundem praetergredi terminos nec ius nec potestatem habet." [1])

Positivismus simul *sensismus* est, si data opera, id quod saepe accidit, discrimen essentiale inter intellectum et sensum negat et operationes intellectus pro meris transformationibus sensationum habet. Sed necessarium id non est. Potest enim concedere nos tales rerum metaphysicarum apprehensiones habere, sed valorem obiectivum et veritatem iis denegat. A *materialismo* autem per se eo differt, quod hic quidem omnia ex materia eiusque viribus declarat, positivismus autem de rerum essentiis nihil sciri profitetur.

259 2. Itaque positivismus, ut eius naturam paulo distinctius explicemus,

a) negat nos *veritates supersensibiles* sive metaphysicas cum certitudine cognoscere posse. Cum nihilominus homo ab his veritatibus considerandis et sublimioribus idealibus appetendis abstinere nequeat, positivistae haec penitus tollere nolunt, sed ab intellegentia removent et plerumque affectui, imaginationi, „fidei" apprehendenda committunt, plena in his rebus opinandi libertate concessa. Quod nu-

[1]) Ita agnosticismum recte Encycl. „Pascendi" (1907) describit.

men et religionem attinet, alii hominem sive humanum genus, quippe quo maius experientia offerri nequit, centrum universorum et obiectum religiosae venerationis constituunt eiusque profectus promovendi desideriis abundant, alii vero cum Spencer absolutum quidem exsistere docent, quod tamen nobis „incognoscibile" sit.

b) Ulterius autem positivismus, si modo philosophico proponitur, asserit nos per experientiam *tantum facta et rerum phaenomena* cognoscere, non vero res in se ipsis, non substantias, vires, fines vel similia. Facta autem, quae a nobis cognosci dicuntur, tantum interna facta conscientiae sunt, quae nempe res in nobis excitent tanquam phaenomena sua. Haec sola a nobis certo apprehendi.

Positivistae igitur etiam *conceptibus universalibus* valorem obiectivum denegant, quia experientiam egrediuntur. Similiter *principia metaphysica,* veluti axioma causalitatis, vel plane non vel solum ut postulata sive producta mentis admittunt, quae ex mente necessario nascantur, sed certa veritate careant. Medium, quo ad leges universales inveniendas progredi conantur, *inductio* incompleta est; quam tamen illo ferme modo explicant, qui supra (n. 205) reiectus est, scilicet non ope principii metaphysici concludendo ex particularibus eventibus ad legem, sed tantum ex quadam cogitandi consuetudine sive ex associatione admittendo futura fore similia praeteritis.

Nemo positivistarum principiis suis constat. Tamen pro maiore minoreve inconstantia apte *consequentes* et *inconsequentes* positivistas distinguere licet.

3. *Testimonia* aliqua ideas modumque loquendi agnosticismi 260
ostendant. *Kant* putat, rationem (theoreticam) „numquam ultra fines experientiae possibilis pertingere posse, id quod principalis intentio istius scientiae [metaphysicae] est".[1]) *A. Comte* haec docet: „In stadio positivo [Comte in generis humani progressu tria stadia distinguit:

[1]) „Es ergibt sich aus dieser Deduktion unseres Vermögens . .. daß wir mit ihm nie über die Grenze möglicher Erfahrung hinauskommen können, welches doch gerade die wesentlichste Angelegenheit dieser Wissenschaft ist." Kritik der r. V. 2. Vorrede.

religiosum antiquissimum, metaphysicum medium, positivum recens] mens humana, notiones absolutas obtineri non posse cognoscens, origini ac destinationi mundi investigandis et causis intimis phaenomenorum noscendis renuntiat, id unice spectans, ut eorum leges reales i. e. invariabiles relationes successionis et similitudinis detegat."[1]) „Quod ultra ambitum scientiae positivae [experientiae] situm est", inquit *Littré*, „menti humanae inaccessibile est. ‚Inaccessibile' autem non dicit nihil vel non exsistens [nul ou non exsistant]."[2]) „Substantiam, vim omnesque alias conceptiones metaphysicas recentium reliquias entitatum scholasticarum esse censemus."[3])

Audiamus *recentiores:* „Secundum positivismum criticum nullum ens absolum, nulla res in se exsistit; relinquuntur igitur unice et solum perceptiones, quae adsunt, quae facta positiva sunt, ex quibus totus mundus subiectivus . . constructus est; positivismus criticus omnem aliam et ampliorem assertionem fictivam . . esse affirmat: secundum eum tantum successiones et coexsistentiae phaenomenorum exsistunt."[4])

---

[1]) „Dans l'état positif l'esprit humain, reconnaissant l'impossibilité d'obtenir des notions absolues, renonce à chercher l'origine et la destination de l'univers et à connaître les causes intimes des phénomènes, pour s'attacher uniquement à découvrir . . leurs lois effectives, c'est-à-dire leurs relations invariables de succession et de similitude." „Nous voyons, par ce qui précède, que le charactère fondamental de la philosophie positive est de regarder tous les phénomènes comme assujettis à des *lois* naturelles invariables, dont la découverte précise et la réduction au moindre nombre possible sont le but de tous nos efforts, en considérant comme absolument inaccessible et vide de sens pour nous la recherche de ce qu'on appelle les *causes*, soit premières, soit finales." Cours de philosophie positive[3] I (1869) 9. 16. — [2]) Auguste Comte[3] (1877) 519. — [3]) Histoire de la Littérature Anglaise[4] V 397. Cf. *H. Gruber*, Der Positivismus vom Tode A. Comtes bis auf unsere Tage (1891) 132. — [4]) *H. Vaihinger*: „Wir kennen nur Relatives, wir kennen nur unabänderliche Beziehungen und Gesetze der Phänomene; alles andere ist subjektive Zutat. Die Scheidung der Welt in Dinge an sich = Objekte und Dinge an sich = Subjekte ist die Urfiktion, von der alle anderen schließlich abhängen. Auf dem Standpunkt des kritischen Positivismus gibt es also kein Absolutes, kein Ding an sich, kein Subjekt, kein Objekt; es bleiben also einzig und allein die Empfindungen übrig, welche da sind, welche gegeben sind, aus denen die ganze subjektive Welt aufgebaut ist in ihrer Scheidung in eine Welt physischer und in eine Welt psychischer Komplexe; der kritische Positivismus erklärt jede andere und weitere Behauptung für fiktiv, subjektiv und unbegründet: für ihn existieren nur die beobachteten Successionen und Koexistenzen der Phänomene." Die Philosophie des Als ob[10] (1927) 115.

„Usque adhuc semper spes illa fataliter decepta est fore, ut ex notitia mundi ideae obtinerentur, quibus res mundi superempirici efficerentur obiecta scientiae.“[1]) „De omnibus rebus metaphysicis verum est: stricte neque demonstrari neque refutari possunt.“[2]) „Scientia rerum summarum et ultimarum nobis impossibilis est.“[3]) „Conceptio igitur mundi fundamento scientifico innixa valde dubia apparet . . ideo doctrina de mundi conceptione ad aliud genus pertinet quam scientia.“[4]) „Omnia responsa ad quaestiones ultimas universali persuadendi vi carent“; „nostrum non est valorem transcendentem institutionum humanarum cognoscere.“[5]) „Cognitio nostra scientifica illas tantum res attingere valet, quas sensibus percipere possumus, . . et facta nostra psychica, repraesentationes, sentimenta, volitiones. Non habemus organum, quo alias res scientifice cognoscere possimus. Si tales sunt, ultra cognitionem nostram scientificam sitae sunt. Possunt esse obiecta fidei religiosae, non vero scientiae. Transcendentes sunt.“[6])

---

[1]) *Wundt:* „Die Hoffnung, aus dem Material der Welterkenntnis Begriffe gewinnen zu können, welche die Gegenstände einer übersinnlichen Welt in Objekte des Wissens verwandeln, diese Hoffnung hat sich noch immer als eine verhängnisvolle Täuschung herausgestellt.“ Menschen- und Tierseele[8] (1922) 546. — [2]) *N. Hartmann:* „Von allen metaphysischen Gegenständen gilt der Satz: sie sind im strengen Sinne weder beweisbar noch widerlegbar.“ Ethik (1926) 648. — [3]) *Th. Lipps:* „Das Wissen von den höchsten und letzten Dingen ist uns versagt.“ Die ethischen Grundfragen[2] (1905) 327. — [4]) *H. Rickert:* „Eine geschlossene Weltanschauung auf wissenschaftlicher Basis erscheint also ganz fragwürdig. Ja, man kann noch weiter gehen. Geschlossenheit bedeutet in unserer Sprache so viel wie Vollendlichkeit, deshalb muß die Weltanschauungslehre in eine andere Sphäre als die Wissenschaft fallen. Selbstverständlich bleibt sie Kontemplation“. Vom System der Werte. Logos IV (1913) 223. — [5]) *G. Jellinek:* „Alle Antworten auf die letzten Fragen entbehren der allgemein überzeugenden Kraft.“ „Es ist nicht unsere Sache, den transzendenten Wert menschlicher Institutionen zu erkennen.“ Allgemeine Staatslehre[3] (1914) 233. 332. — [6]) *E. Loening:* „Unsere wissenschaftliche Erkenntnis hat unüberschreitbare Grenzen. Ihr sind nur zugänglich die Gegenstände, die wir durch unsere Sinne wahrzunehmen vermögen, . . und die Vorgänge unseres Selbstbewußtseins, Vorstellungen, Gefühle, Willensakte. Wir haben kein Organ, um andere Gegenstände wissenschaftlich zu erkennen. Gibt es solche Gegenstände, so liegen sie jenseits unserer wissenschaftlichen Erkenntnis. Sie können Gegenstände unseres religiösen Glaubens, aber nicht der Wissenschaft sein. Sie sind transzendent.“ Handb. d. Staatswissenschaften[3] VII (1911) 699.

261 **Notae historicae.** Empirismi et agnosticismi initia apud veteres iam inveniuntur. Fortius mentibus dominari coepit, ex quo tempore studium renascens rerum antiquarum, defectio ab Ecclesia catholica et religione generatim mentes hominum magis magisque ad res sensibiles converterunt.

Primus empirismi auctor *Baco Verul.* († 1626) habetur, qui in opere „Restauratio magna" principium profitetur: „Ea vera est philosophia, quae mundi ipsius veritates fidelissime reddit et veluti dictante mundo conscripta est . . neque addit quidquam de proprio, sed tantum iterat et resonat." Quam doctrinam *Locke* († 1704) fere ad sensismum perduxit, quem deinde Condillac, Gallus († 1780) ad extremas consecutiones evolvit. *Hume* († 1776) a principiis empirismi usque ad scepticismum profectus est. Accessit deinde philosophia *Kantii,* quae empirismum continet. In Gallia et Anglia *A. Comte* († 1857) praecipuus promotor empirismi factus est, cui ipse primus nomen „positivismi" dedit.

Aug. Comte removere volens anarchiam intellectualem, quae nunc collapsis systematibus religiosis et metaphysicis vigeat, et enascentem inde socialem calamitatem, advocatum agit positivismi. Secundum legem enim „sociologicam" ab ipso detectam evolutio hominis a stadio religioso incipere dicitur, in quo homo phaenomena naturae a diis causata esse censet; inde (a saec.° 14.) ad stadium metaphysicum ascendit, in quo essentiae abstractae phaenomenis supponuntur; nostra denique aetate stadium positivum ingressi sumus. Religio huius philosophi in cultu humanitatis consistit, quam phantastice depingit.

262 In *Gallia* praeterea positivismo addicti sive propinqui sunt *Littré* († 1881), qui tamen postmodum ad religionem catholicam se convertit, *H. Taine* († 1893), *A. Binet, Th. Ribot, J. Delboeuf, Janet,* denique *J. M. Guyau* († 1888), qui ethicam et philosophiam religionis positivistico-evolutionisticam, Nietzscheanae affinem, construere studuit.

In *Anglia* positivismus etiam permultos asseclas obtinuit. Inter quos primum nominandus est *J. St. Mill* († 1873), qui fere extremum empirismum excoluit tum in ethica et religione tum maxime in doctrina de cognitione, secundum quam omnis cognitio scientifica ultimo tantum in inductione eaque fere associativa nititur. *J. Bentham* († 1832) ethicam utilitaristicam docet. Inter alios *H.*

Spencer († 1903) praecipuum nomen adeptus est. Hic religionem et scientiam per distinctionem inter „incognoscibile" et „cognoscibile" reconciliare conatur; hoc tribuit scientiae, illud religioni. Incognoscibile est „realitas certissima ac summa"; sed religio ab eo accuratius definiendo abstinere soloque affectu contenta esse debet. Quod obiectum scientiae attinet, animam in complexum affectionum dissolvit, quae secundum leges associationis congrediantur, opiniones vero religiosas, morales, iuridicas, matrimonium, auctoritatem et humana omnia docet paulatim per evolutionem e statu brutorum orta esse et somniis, assuetis imaginationibus, instinctui et similibus originem debere. Inter positivistas praeterea nominandi sunt *J. Tyndall, Al. Bain, G. H. Lewes, H. Sidgwick, E. Westermarck.*

In *Germania* eminent *Avenarius* († 1896), cuius „empiriocriticismus" systema purae experientiae a rationis activitate et ideis metaphysicis independentis construere conatur, *E. Laas, E. Mach, J. Petzoldt, Vaihinger, Nietzsche.*

Positivismo etiam *materialistas* addictos esse, velut *Haeckel, C. Marx, W. Ostwald, Cabanis, Huxley* liquet. Pariter agnosticismi asseclis *modernistae* adnumerandi sunt.

Magna haeresis hodierna agnosticismus non immerito 263
vocari potest. Potenter enim theoreticam cogitandi et practicam vivendi rationem regit.

Quod *religionem* attinet, manifestat se in prava opinione res religiosas non ad intellectum, sed ad affectum sive imaginationem pertinere. Ideo magna in his viget libertas opinandi ac indifferentia.

Ex philosophia theoretica eicitur *metaphysica,* qua exulante omnis philosophia perit.

In *ethica* remotis „suppositionibus transcendentibus", veluti Deo fine ultimo et legislatore, vita futura immortali, immutabilitate legum moralium, separatur moralitas a religione et relativismus moralis inducitur. In *scientia iuris* negato iure naturae omne ius ab auctoritate humana, consuetudine, evolutione historica repetitur.

In *paedagogica* saepe influxus religionis revelatae repudiatur; puram humanitatem excolendam esse praedicant. In *aesthetica* et in artibus colendis non raro realismus et naturalismus praevalent, qui ideali operum indole neglecta

externam tantum formam curant et sensualia sectantur. In scientiis *historicis* „ars critica" ita exercetur, ut facta supernaturalia impossibilia esse ab initio supponatur. In *scientiis naturalibus* multi alias declarationes praeter mechanisticas seu energeticas non admittunt et permulti omnes conceptus philosophicos repudiant.

Homo denique ipse et humana omnia, opiniones religiosae et morales, familia et res publica, immo leges cogitandi *producta evolutionis* habentur, in aetates mutabilia. Idcirco inquisitiones historicae et comparativae praevalent; non, quid *debeat* esse secundum principia immutabilia, sed quid sit et fuerit, inquiritur. E. g. scientia religionis comparativa omnes religiones, christiana non excepta, tantum pro diversis momentis naturalis evolutionis humanae habet, omni utique revelatione exclusa, easque describit.

Quod denique practicam *vivendi rationem* attinet, maxime aestimantur scientiae naturales, artes technicae, commercium, res ad externam culturam spectantes, idealia autem sublimiora despiciuntur.

Th. 33. Positivismus sive agnosticismus certis veritatibus de humana cognitione adversatur (1. p.), naturae humanae iniuriosus est (2. p.), et, si sibi constare vult, omnen scientiam delet (3. p.).

264 **Demonst. 1. p.** 1. Positivismus a) negat nos ratiocinando supersensibilia cognoscere posse; quam mentis facultatem multis demonstravimus. b) Asserit nos generatim tantum rerum phaenomena sive modos, quibus afficimur, et facta (interna) cognoscere, non vero res, ut in se sunt. c) Proinde etiam negat seu negare debet ideas universales valorem objectivum habere, pariter principia universalia denegat vel certitudine destituit. Atqui ita veritatibus de cognitione humana, quas certissimas esse demonstravimus, contradicit. Ergo.

2. Positivistas certis veritatibus de cognitione adversari etiam ex eo apparet, quod suam doctrinam numquam constanter tenere possunt, sed continuo sibi *contradicere* coguntur. a) Quatenus dicunt nos tantum conscientiae facta

cognoscere, omnibus contradictionibus idealistarum se implicant. Nam ita se gerunt, sicut qui firmissime sibi persuasum habent se ipsos et mundum externum esse; pariter theoretice doctrinam suam affirmantes et demonstrantes multa praeter actus suos pro certis habent. b) Conceptibus universalibus et principiis metaphysicis valorem negant, nihilominus, cum libros scribunt, scientias colunt, constanter iis utuntur; in omni enim iudicio et argumentatione variae notiones communes et principia generalia adhibentur, ipsa copula „est" conceptus valde abstractus est. c) Praeterea asserentes supersensibilia mentem transcendere vel ordinem spiritualem negantes ostendunt, se aliquam rerum supersensibilium notitiam habere. Immo nemo a speculationibus metaphysicis abstinet. Ipse materialismus asserens nihil esse praeter materiam experientiam longe egreditur.

Demonst. 2. p. Positivismus naturae humanae iniu- 265
riosus est, si a) indelebiles eius inclinationes inanes reddit, b) hominem ad brutorum condicionem deprimit, c) ad vitam homine indignam deducit. Atqui haec ita se habent. Ergo positivismus humanae naturae iniuriosus est.

Demonst. min. a) Homo inclinatione indelebili ad rerum, quae eum circumdant, suique ipsius naturam et remotiores causas et fines intellegendos vehementer impellitur. Item bona idealia, veluti beatitudinem, immortalitatem, religionem desiderio prosequitur. Iam vero has inclinationes positivismus inanes declarat, cum obiecta earum vana sint. — Positivismus hac ratione aenigma sibi insolubile creat: unde igitur in humana natura invenitur ille conatus cognitionis humanae ad attingenda supersensibilia, illa tendentia voluntatis supra materialia, illa desideria rerum altiorum, concupiscentiae abnegatio et similia, si haec omnia nihil sunt nisi illusiones.

b) Homo a brutis eo potissimum differre conspicitur, quod, quae bruta sensibus non iam attingunt, ipse attingere potest. Atqui positivismus hoc discrimen aufert, cum ea, quae sensus transcendunt, homini intellegenda et ap-

petenda auferat. Ergo hominem ad brutorum condicionem deprimit.

c) Positivismum ad vitam homine indignam deducere manifestum est, quia notiones et veritates fundamentales religionis et moralitatis tollit et hominem sola sensibilia attendere et appetere docet.

Quare pars sanior generis humani quolibet tempore talem doctrinam aversata est eamque contra pessimus quisque amplexus est. Positivismus seu agnosticismus philosophia quadrupedum est.

266 **Demonst. 3. p.** Positivistae conceptibus universalibus et principiis metaphysicis valorem universalem denegantes nullas iam demonstrationes instituere, nullas leges generales statuere, numquam legitime ex effectibus ad causas et fines concludere, nihil de futuris inferre possunt. Sed tantum factorum singularium acervum colligere in iisque sistere debent. Immo quatenus facta conscientiae tantum admittunt, nihil iam nisi facta interna interrupta habent, quorum obiecta, sive exhibentur ut praesentia sive ut futura sive ut praeterita, sive repraesentantur ut mundus externus sive ut substantia propria, tamdju solum exstant, quamdiu repraesentantur. Atqui hac ratione omnis scientia, immo omnis genuina cognitio misere deletur. Ergo positivismus, si sibi constare vult, omnem scientiam delet.

Art. 5. De irrationalismo

§ 1. De conceptu et speciebus irrationalismi

267 **Irrationalismus generatim.** Ratio scientifica, conceptibus scientificis et ratiociniis discursivis utens, satisfacere non potest sublimioribus indigentiis animi humani, quibus obiecta et bona altiora cognoscere et obtinere appetit, praesertim si fidei sociata non est. Plerique enim scientiam tractare vel non possunt vel non amant. Praeterea scientia, maxime si a fide oculos avertit, in veritatibus subli-

mioribus cognoscendis admodum infirma et erroribus obnoxia est. Nihilominus mens humana obiecta illa sensum transcendentia cognoscere vehementer appetit, et si forte hoc desiderium per aliquod tempus sopitum elanguit vel fallaciis deceptum est, iterum reviviscit et a viis fallacibus ad alias, quibus desiderata invenire sperat, se convertit. Id plurimis hac aetate accidit. Ex longo tempore scientia, tum scientiae particulares tum maxime philosophia, steriles et impotentes se exhibuerunt in idealibus animi indigentiis satiandis; etenim de rebus metaphysicis vel tantum silentium vel nihil praeter quaestiones, dubia, opiniones oppositas et negationes praebuerunt. Sic factum est, ut paulatim multi a ratione scientifica se averterent et aliam viam ingrediendam esse concluderent ad res ideales apprehendendas et obtinendas. Ita ad „irrationalismum" se converterunt.

Irrationalismus nunc illa opinio vocatur, quae tenet in homine praeter rationem discursivam sive scientificam aliud medium ab illa essentialiter diversum esse, quo vel unice vel potissimum res metaphysicas apprehendere possimus; quod medium propterea „irrationale" dicitur. Hoc nomen igitur non significat aliquid „contra rationem" nec simpliciter „supra rationem", sed medium a ratione discursiva essentialiter diversum, nempe facultatem aliquam homini internam, qua non per laboriosas, pallidas, inevidentes parumque efficaces ratiocinationes obiecta apprehendat, sed immediate, cum vigore et persuasionis firmitate.

Hoc medium „irrationale" diversis modis describitur. A recentissimis defensoribus saepe vel plerumque „intuitio" vocatur. Sed minime ab omnibus. Praeterea irrationalismus, quem nunc vocamus, etiam anteriore tempore sectatores habuit, quos pariter hoc loco considerabimus; qui irrationale suum non intuitionem nominarunt. Ideo generale nomen irrationalismi praeferimus, intuitionismum autem tamquam speciem subsumimus.

268 Diversi modi, quibus irrationale describitur, ad *duas formas* reduci possunt, prout nempe apprehensio illa immediata irrationalis vel tamquam *appetitiva* describitur seu ut obiecti activa positio et postulatio, quae saepe fides nuncupatur, vel tamquam *perceptiva* sive ut interna experientia, quae nunc plerumque intuitio appellatur. Sic duae formae oriuntur, quas fideismum et intuitionismum vocamus. Sed animadvertendum est irrationalistas plerumque magna obscuritate laborare et de apprehensione sua irrationali modo hoc modo alio sensu loqui.

Irrationalistae doctrinam oppositam, quae res metaphysicas solum ratione discursiva cognosci affirmat, „intellectualismum“ sive „rationalismum“ nominare solent.

269 **I. Fideismus.** Qui hanc formam sequuntur, plerumque agnosticismo addicti supponunt ea, quae ordinis idealis sunt, intellectum humanum omnino transcendere. Cum nihilominus eorum persuasionem tollere nolint, sed immo saepe in magno pretio habeant, nihil relinquitur, nisi ut, cum ex intellegentia nasci nequeat, ex quadam *activitate appetitiva* promanare dicatur. Itaque affirmant, talem persuasionem haberi ac teneri affectu, emotione, voluntate, indigentia, proinde non esse iudicium intellectus rationibus obiectivis innixum, sed potius motum appetitivum, quo animus „veritatem“ affective amplectatur, postulet, ponat, activitate quadam poetica producat. Hic motus provenire concipitur ex interna indigentia, quae modo obscuro quidem et quasi inconscio, attamen efficaci in felicitatem vel in moralitatem vel in divina et aeterna feratur et deinde sententias consentaneas progerminet. Saepissime talium sententiarum persuasionem *„fidem“* appellant. Quae tamen fides non est assensus intellectus in veritatem ob testimonium alterius (Dei) sicut fides christiana; neque generatim activitas intellectus est.

Secundum fideismum igitur sententiae metaphysicae, cum ad intellectum non pertineant, neque verae neque falsae demonstrari possunt; ad summum intellectus super-

veniente reflexione eas aliqua approbatione munire vel (sic interdum loquuntur) non impossibiles ostendere potest. Immo generatim non esse quaerendum aiunt, utrum tales opiniones verae an falsae sint, sed potius utrum cum subiecti indigentiis conveniant necne. Proinde etiam in variis nationibus et temporibus atque etiam individuis diversas esse posse, cum semper indoli hominum accommodatae sint.

Hac ratione efficitur separatio inter mundum empiricum et idealem, inter ea, quae ferme ad scientias naturales et historicas, et alia, quae ad metaphysicam et religionem spectant. Illa tribuuntur intellegentiae sive „scientiae", alia vero „fidei". (Sed in hac re scientia intelligitur latissime quaelibet apprehensio intellectualis.) Neque iam inter ordinem utrumque pugna oriri potest. Persuasio enim religiosa nullis argumentis intellegentiae falsa demonstrari potest, cum non sit theoretica, sed penitus alia, nimirum „moralis". Sequitur etiam plena libertas construendae philosophiae et religionis cuiuslibet, tolerantia absoluta omnis religionis et „persuasionis", reiectio metaphysicae et omnium dogmatum immutabilium. In horum locum succedit praecipuus cultus psychologiae, historiae philosophiae et culturae, historiae religionum; non enim investigandum iam est, quaenam religiones vel sententiae philosophicae verae et tenendae sint, sed historice narrandum est, quaenam per aetates producantur. Error expositus etiam hoc commodum praestat, ut una ex parte dignitatem naturae humanae servare videatur, cum adversus materialismum mundum idealem et religionem tueatur, immo eam omnibus scientiae impugnationibus inaccessibilem reddat, alia autem ex parte talem idealismum statuat, qui nemini molestus esse potest. — Sed non omnes fideismo addicti has conclusiones, quae per se inferendae sunt, reapse inferunt.

Kant, qui magna ex parte modernae aetati ideas in- 270
spiravit, etiam fideismo moderno facem praetulit. Docet enim intellectum seu rationem theoreticam tantum sensibilia cognoscere. Nihilominus etiam de veritatibus super-

sensibilibus, velut de lege morali, de exsistentia Dei, libertate, immortalitate firmam persuasionem tenendam esse vult, attamen non intellectu, sed „ratione practica“ vel voluntate, quae has veritates, utpote ad vitam moralem necessarias, „postulet“, ponat, „fide“ teneat. Demonstrari eas non posse, sed neque refutari, cum ad ordinem pertineant, ad quem intellectus accedere nequeat. „Debui scientiam tollere“, inquit, „ut fides locum capere posset.“[1]) Fides igitur kantiana ex motu appetitivo morali et quidem volitivo promanat.

Secundum *Schleiermacher* († 1834), qui alius moderni fideismi auctor est, fides potius ex affectu sive emotione emanat. Religionem enim ait non ex intellegentia, sed tantum ex sentimento emanare, quo homo se et omne finitum tamquam unum cum infinito et ab eo dependens sentiat.[2]) Ideo propositiones theologicas tantum obiectum „fidei“ esse nec discrimen exsistere religionis verae et falsae. Eius ideas substantiales recens *theologia protestantica* adoptavit. Protestantismus, qui ab initio criterium veritatis religiosae in interna subiecti experientia situm esse docuit, natura sua cum fideismo cohaeret.

271 Qui irrationalismo fideistico addicti sunt, ita ferre *loquuntur*. *Theologi protestantici*: „Numen non apprehenditur nec etiam apprehendi potest praedicatis rationalibus, sed alio modo apprehendi debet.“ „Quid autem est et quomodo est illud numinosum [divinum] obiectivum, quod extra me sentio? Cum ipsum sit irrationale i. e. conceptibus inexplicabile, tantum specifica sua reactione affectiva describi poterit.“

---

[1]) „Ich mußte das Wissen aufheben, um zum Glauben Platz zu bekommen.“ Kritik d. r. V. Vorrede. — [2]) „Religion ist das ‚Gefühl der Einheit mit dem Unendlichem‘“, „Gefühl schlechthinniger Abhängigkeit vom Unendlichen“. „Auf jeden Beweis für die Wahrheit oder Notwendigkeit des Christentums verzichten wir gänzlich und setzen dagegen voraus, daß jeder Christ, ehe er sich irgend mit Untersuchungen dieser Art einläßt, schon die Gewißheit in sich selbst habe, daß seine Frömmigkeit keine andere Gestalt annehmen könne als diese.“ Der christliche Glaube § 11 n. 5.

„Id pure sentimentis experimur.“[1]) „Tantum relinquitur, ut fides se ipsam tamquam actionem divinam in homine apprehendat. Sed haec actio perficitur in vitali fidei experientia. Idcirco certitudo fidei tantum in eo niti potest, quod Deum in nobis experimur sive quod spiritus Dei nostro spiritui se manifestat.“ „In fide religiosa adest certitudo immediata, quae intus fundata est.“[2]) — *Philosophi:* „Philosophia critica concedit scientiae, quod eius est, totum nimirum phaenomenorum ordinem, liberrima inquisitione investigandum; alia ex parte dat fidei, quod aeterno iure postulat. vitae mundique interpretationem sub respectu valorum.“ „Fides non nititur proprie in rationibus, sed in necessitate quadam practica.“ „Religio non est scientia, ideo nemini demonstrando persuaderi potest; sed propterea religio neque error est, nemini potest refutando auferri.“ „Ultimae et summae veritates, in quibus et pro quibus homo vivit et moritur, non in cognitione scientifica nituntur, sed ex corde, ex essentiali voluntate oriuntur.“[3]) „Non solum optimis-

---

[1]) *R. Otto:* Die Gottheit ist „in ihnen [in rationalen Prädikaten] noch nicht aufgefaßt, kann auch nicht in ihnen aufgefaßt werden, sondern muß auf eine eigene andere Weise aufgefaßt werden.“ „Was aber und wie ist nun dieses objektive, außer mir gefühlte Numinose selbst? Angebbar wird es nur sein, da es selbst ja irrational, das heißt in Begriffen nicht explizibel ist, durch seine besondere Gefühls-Reaktion im Gemüte.“ „Sein [des religiösen Mysteriums] Positives wird erlebt rein in Gefühlen.“ Das Heilige[14] (1926) 2. 13. 14. — [2]) *A. Titius:* „So bleibt dem Glauben nur übrig, sich selbst als Tat Gottes in den Menschen zu erfassen. Aber diese Tat vollzieht sich im Glaubenserlebnis des Menschen und muß in ihm sich abspiegeln. Dann aber kann offenbar die gläubige Vergewisserung auf nichts anderem ruhen, als auf dem Innewerden Gottes, bzw. darauf, daß sich Gottes Geist unserem Geiste erschließt.“ „Es handelt sich im religiösen Glauben um eine unmittelbare Gewißheit, die innerlich begründet ist.“ Natur u. Gott (1926) 697 s. — [3]) *F. Paulsen:* „Die kritische Philosophie gibt dem Wissen, was ihm gehört, die ganze Welt der Erscheinung zu freiester Untersuchung; sie gibt anderseits dem Glauben, was sein ewiges Recht ist: die Deutung des Lebens und der Welt aus dem Gesichtspunkt der Werte.“ „Der Glaube beruht nicht eigentlich auf Gründen, sondern auf einer praktischen Notwendigkeit.“ „Religion ist keine Wissenschaft, man kann sie daher niemand andemonstrieren; aber eben darum ist die Religion auch kein Irrtum, man kann sie niemand wegdemonstrieren.“ „Die letzten und höchsten Wahrheiten, die Wahrheiten, auf die und für die ein Mensch lebt und stirbt, die haben ihren Grund nicht im wissenschaftlichen Erkennen, sie stammen aus dem Herzen, aus dem wesenhaften Willen.“ Imm. Kant, sein Leben und seine Lehre[4] (1904) 6. 413 s.; Einleitung in d. Philosophie[38] (1923) 271.

mus et pessimismus, determinismus et doctrina libertatis, sed etiam pantheismus et individualismus, idealismus et materialismus, ipse rationalismus et sensismus ultimo radicantur in affectu et manent, etsi cogitandi mediis utantur, ultimo obiecta fidei, sensus, voluntatis."[1])

272 Irrationalismum fideisticum etiam contingit aliqua doctrina recentissima, quae *conventionalismus* vocatur. Haec asserit, principia generalia (axiomata, definitiones), ad quae cognitiones nostrae revocentur, non esse veritates absolutas, de quarum conformitate cum ordine obiectivo theoretice constare possit, sed esse tantum admissiones communi consensu sive conventione modo quodam decretorio statutas, quoniam utiles regulae sint ad inquisitiones nostras in fines suos (scientificos) dirigendas. Talem conventionalismum in rebus mathematicis et physicalibus admittunt *H. Poincaré*[2]), *Einstein*, *E. le Roy*, (modo extremo); alii eum ad totum philosophiae ambitum extendunt. — Aliqui contendunt, ultima principia cognitionum et scientiarum non tantopere conventione communi, quam potius propria singulorum voluntate statui, quae principia, cum tamquam ultima non ulterius demonstrentur, vera esse decernat ad ordinem in operationibus scientificis obtinendum; principia esse „voluntaria statuta", „omnem philosophiam ultimo decernismum esse", et „voluntarismum".[3])

273 **II. Intuitionismus** a fideismo eo differt, quod irrationale non apprehensionem appetitivam, sed *perceptivam* sive immediatam experientiam spiritualum esse docet, non igitur quoddam affectivum ponere et producere, sed mysticum intueri. Hanc perceptionem appellat intuitionem eamque, saepe saltem, intellectualem describit. Intuitionismus igitur

---

[1]) *R. Falckenberg*: „Nicht nur Optimismus und Pessimismus, Determinismus und Freiheitslehre, sondern auch Pantheismus und Individualismus, Idealismus und Materialismus, selbst Rationalismus und Sensualismus haben ihre letzten Wurzeln im Affekt und bleiben, wenn sie auch mit den Mitteln des Denkens arbeiten, in höchster Instanz Sache des Glaubens, des Gefühls, des Entschlusses." Geschichte der neueren Philosophie[8] (1919) 3. — [2]) Qui de axiomatibus mechanicis scribit: „Ce sont des conventions; notre choix, parmi toutes les conventions possibles, est guidé par des faits expérimentaux: mais il reste libre et n'est limité que par la nécessité d'éviter toute contradiction." Science et hypoth. (1902) 3. — [3]) Sie sind „freiwillige Festsetzungen"; „jede Philosophie ist letzten Endes ein Dezernismus"; „es ist somit jede Philosophie ein Voluntarismus". *H. Dingler*, Der Zusammenbruch d. Wissenschaft (1926) 73 f. 377—81; Die Grundlagen d. Physik[2] (1923) 13—28.

per se non negat apprehensionem rerum idealium intellectualem esse, sed tantum negat eam discursivam esse. Sed apud multos recentes „intuitio" parum differt ab apprehensione affectiva supra descripta, quae improprie intuitio appellatur. Ideo intuitionismus duplex distingui potest, unus perceptivus sive proprie dictus, alter affectivus sive improprie dictus.

Nota. Itaque merito tum fideismus tum modernus in- 274
tuitionismus *immanentismus* vocantur, quatenus docent persuasionem de rebus metaphysicis non per rationes obiectivas externas determinari, sed immediate ex subiecto, praecipue ex eius indole et indigentiis promanare. Simul perspicitur, id quod ex infra dicendis clarius apparebit, hodiernum irrationalismum arcte cum *subiectivismo* cohaerere, cum subiectum statuat fontem et normam religionis et metaphysicae rerum conceptionis.

Irrationalistis etiam familiare est asserere (A. Sabatier, Bergson, Le Roy), varias doctrinas de mundo vitaque humana et religionum dogmata formulis intellectualibus composita non exprimere propria significatione illud ineffabile et profundum, quod immediatus sensus internus experiatur, sed esse tantum *symbola,* quibus diversae aetates sive homines illud ideale et arcanum, quod iis summum appareat, conceptibus intellectualibus numquam exhauribile, intellectu sibi repraesentare soleant (symbolismus).[1])

§ 2. Historia irrationalismi

I. Tempore antiquiore variae irrationalismi formae in- 275
veniuntur, quamquam non hoc nomine designatae.

1. *Fideismi* defensor et quidem praecipuus *Kant* est, de quo supra diximus. Alius recentioris fideismi praecursor *Schleiermacher* est, cuius pariter supra mentionem fecimus. Hunc deinceps A. Ritschl († 1889) et plerique *theologi protestantici,* agnosticismum kantianum adoptantes, secuti sunt. Protestantismus ab initio in subiectivismo et immanentismo

[1]) Confer. supra n. 52. 55.

stetit: inspirationem enim verumque sensum Scripturae, quam unicum revelationis fontem dicit, interno testimonio Spiritus S. probari asseruit.

276 2. *Intuitionismi* et quidem proprie dicti sive intellectualis praecipuus auctor *Plato* dicendus est. Docet enim, animas in mundo illo, in quo ante unionem cum corpore degebant, intuitione intellectuali ideas sive essentias aeternas et immutabiles atque etiam supremam ideam, bonum (quod videtur Deus esse) aspexisse, nunc vero corporibus inclusas illas intuitiones reproducere, quando res concretas sensibus percipiant. Hunc intuitionismum *Neoplatonici* et eorum dux *Plotinus* ampliarunt, insuper docentes, mentem humanam, si interna collectione ab externis se recipiat, mystica quadam ekstasi Deum apprehendere, quatenus unum cum eo fiat.

Neoplatonismus influxum exercuit in speculationem *S. Augustini;* quae hac in re paulisper obscura est. Augustinus saepissime docet, in omni veritate ideali, quam cognoscamus, Deum inveniri. Cum enim veritas idealis, a quibuscumque aspiciatur, semper eadem atque immutabilis et aeterna sit, eam non a nobis esse concludit, sed eius rationem ac sedem esse Deum aeternum et immutabilem, ex quo omnis veritas aliqua pars et radius sit, quo mens humana illustretur. Augustinus duo dicere videtur, a) Deum esse ultimam rationem omnium cognoscibilium veritatum, quae a Deo sicut radii a sole egrediantur mentemque creatam ingrediantur, et sic hominem illas veritates cognoscendo aliquid Dei videre, et b) Deum etiam luminis cognoscitivi creati ultimum fontem esse.[1]) Videtur certum esse Augustinum non admisisse in hac vita immediatam intuitionem Dei. Perpetuo docet nos Deum ex Scriptura et natura et ex anima nostra quaerendo, meditando, deliberando, pro-

[1]) *Bonaventura* quoque, doctrinae Augustini valde studiosus, similiter loquitur: „Omnes autem hae scientiae habent regulas certas et infallibiles tamquam lumina et radios descendentes a lege aeterna in mentem nostram." Itiner. ad Deum 3, 7.

inde mediate cognoscere.[1]) Sed non clare loquitur, ut propterea variae interpraetationes inveniantur et veteres ontologi multique recentes intuitionistae doctrinam eius immediatam Dei intuitionem, quamquam certe immerito, interpretentur.

Ontologismus opinatur nos in hac vita iam immediate Deum et in Deo (potissimum saltem) omnia alia intueri. Hanc doctrinam *Malebranche* proposuit († 1715) et postea inter alios *Gioberti* († 1852).

Praeterea intuitionismo cuidam addicti sunt *Pascal,* Card. *Newmann, A. Gratry.* Pascal († 1662) videtur (doctrina eius non satis clara est) in veritatibus religiosis percipiendis nimium cordi tribuere nimiumque intellectui negare secundum illud notum „le coeur a ses raisons, que la raison ne connaît pas". Card. Newmann in opere praeclaro Grammar of assent maximum momentum in cognoscendis supremis veritatibus perceptioni illi intellectuali tribuit, quam vocat „natural inference, illative sense", quae instar intuitionis sine discursu (formali) veritates apprehendat. A. Gratry († 1852) etiam immediatam quandam Dei perceptionem docet, quae iam in naturali ratione exsistat fidemque divinam praecedat et qua anima humana Deum sentiat per immediatam elevationem (élan; obscure loquitur) ex rebus creatis ad Deum ascendendo Deumque attingendo (toucher divin). Hanc perceptionem vocat sensum divinum (sens divin) et fidem (foi naturelle).[2]) 277

Saec. 18 in Anglia aliquem intuitionismum docuerunt *Shaftesbury* († 1713), *Butler, Hutcheson* († 1747) asserentes iudicia de moralitate actionum (et rerum pulchritudine) non ex reflexione intellectus, sed ex sensu spirituali interno prodire (moral sense), quo intuitive qualitatem moralem actionum apprehendamus. Similiter schola *Scotica* (Th. Reid † 1796) affirmavit nos instinctu aliquo a natura indito (common sense, sensu communi naturae) sine rationum perspicientia supremas veritates percipere. *Fichte* denique docet, nos intuitione intellectuali proprium ego et quidem non ut esse, sed ut agere intueri eique non-ego opponere, *Schelling* autem,

[1]) Cf. Card. *Franzelin,* De Deo uno 134—48; *Kleutgen,* Philosophie d. Vorzeit I² n. 471; *Grabmann,* Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Augustinus u. Thomas v. A. (1924) 18 ss. — [2]) De la connaissance de Dieu 1852. Eiusmodi ideas a Gratry propositas *M. Scheler* adoptavit et transformavit in opere suo: Vom Ewigen im Menschen I (1923). Cf. *Geyser,* Augustin u. d. phaenomenologische Religionsphilosophie d. Gegenwart (1923) 76 ss.

nos ens absolutum apprehendere tamquam identitatem inter esse et cogitare, naturam et spiritum, *Schopenhauer* e contrario, nos immediate percipere, „volitionem vitae“ („Wille zum Leben“) esse nucleum metaphysicum internamque naturam nostri ipsorum et totius mundi.[1])

278 **II. Tempore recentissimo** irrationalismus multum invaluit; dominatur in philosophia, in theologia protestantica, insidet mentibus cultorum atque etiam modum sentiendi et loquendi catholicorum non raro afficit. Plerumque intuitionismi nomen gerit. Complures eius formae distingui possunt, quae tamen saepe varie permiscentur.

1. *Intuitionismus vitalis* maxime pervulgatus est. Eius sectatoribus scientia minime satisfacit, quippe quae intimas vitae indigentias parum attingat, in superficie haereat, non ex totalitate vitae ac rerum hauriat, nimis frigida et ieiuna sit, particulares utilitates potius quam profundas vitae indigentias ac valores prosequatur; idcirco scientiae rationique discursivae primatum denegant. Primum et maximum esse vitam. Vitam autem, eius plenitudinem, finem, indigentias ac bona non percipi theoretica ratione, sed immediata intuitione interna. Hanc intuitionem aiunt nos vivendo sive ex plenitudine vitae haurire; ea nos immediate valores vitae experiri i. e. omnia, qua vitae conservandae, perficiendae, eius viribus exercendis, eius finibus conveniant, et quidem maxime valores vitae ideales, moralitatem, veritatem, imprimis religionem. Religionem enim praecipue vitae finem, genuinum valorem, animum ac solatium tribuere. Attamen religionem postulant non passivam, sed maxime activam, quae supremos vitae valores ad effectum adducat. In eo etiam a multis coniunctio cum Deo Deique servitium reponitur, quod quis his supremis vitae valoribus adlaboret.

Experientia vitalis (Erleben), qua illos vitae valores experiamur, a multis instar mysticae intuitionis percep-

[1]) Als den „eigentlichen Kern, als das allein Metaphysische und Unzerstörbare im Menschen“. Die Welt als Wille u. Vorstellung II.

tivae describitur, ab aliis autem ad modum intuitionis affectivae sive emotionalis, quae a fide supra descripta non differt; a plerisque denique confuse tamquam utrumque simul concipitur.

In Germania praeprimis *Nietzsche* apostolus „vitae“ 279
isque fanaticus exstitit. Vita ei summum videtur et quidem vita ad altiores usque gradus evehenda („Wille zum Leben“, „Wille zur Macht“) usque ad „hominem superiorem“ („Übermensch“, „der Sinn der Erde“). Quod huic fini non inserviat, reicit, etiam misericordiam aliasque virtutes christianas („Sklavenmoral“); in doctrinis diiudicandis non ita quaerendum esse, utrum verae an falsae sint, sed utrum ad vitam provehendam conducant necne.

In Gallia et alibi *H. Bergson* eandem, licet non aeque extremam philosophiam vitae excoluit et propagavit. Docet, intellectum (intelligence), qui scientiam creat (prae oculis habet scientiam naturalem), solum in materiam inquirere, tantum rigidas et uniformes leges in mundo detegere, itaque eius inquisitionem esse mere geometricam. Proinde scientiam ad internam mundi naturam, quae omnino alia sit, penetrare et metaphysicam procreare non posse; eius doctrinas tantum symbola esse verae naturae mundi, attamen non exprimere eam, ut in se sit. Mundi rerumque naturam sola intuitione interna percipi. Hac intuitione asserit obscure quidem, attamen immediate percipi, nos ipsos esse in continua vita positos et esse vitam atque eandem esse naturam totius mundi; itaque nos et mundum non esse quoddam esse quiescens, substantiam, sed continuum motum, actionem („action“) et evolutionem, quae usque novas formas ex se progerminet („élan de la vie; évolution créatrice: non „fait“, sed semper „se faisant“). Haec vita mundi et evolutio creatrix usque ulterius se explicans et progrediens ipse Deus[1]) dicitur (pantheisticus).

[1]) „Dieu, ainsi défini, n'a rien de tout fait; il est vie incessante, action, liberté.“ Évol. créatr. 270.

Bergson ducem hac in re *W. James* sequitur ad pragmatismum usque progrediens, qui revera huic „philosophiae vitae" propinqua cognatione coniunctus est.[1])

280 Ab intuitionismo haud multum distat illa *„philosophia valorum"* (Wertphilosophie) in Germania et alibi culta, quae de valoribus agit, sed ita, ut affirmet valores non intellectu, sed appetitione aestimari sive constitui. Valores intelleguntur bona, nempe logica (i. e. veritas, si tamquam conveniens placet), moralia, religiosa, aesthetica, vitalia (vita. sanitas), oeconomica, socialia. Asserunt igitur, haec bona non, sicut obiecta ontologica et metaphysica, res absolutas esse, quae independenter a subiecto sint, sed relativas esse, respicientes subiectum appetens, et propterea ipsa subiecti complacentia sive approbatione et aestimatione constitui; bona enim esse, quae placeant. Idcirco valores non esse obiecta cognitionis demonstrationisque intellectualis et inquisitionis metaphysicae, quae res investiget, quales in se sint, sed obiecta appetitionis, emotionis, voluntatis sive experientiae cuiusdam vitalis, qua sentitur, quid sit homini eiusque vitae conveniens. Hac appetitiva aestimatione valores apprehendi sive potius constitui. Ex quo sequitur, valores non esse reales rerum proprietates, sed a subiecto rebus attribui, ideoque variabiles esse. Multi vel plerique id expresse affirmant; quidam incassis artificiis aliquam obiectivam realitatem valoribus servare conantur. Ex eo etiam distinctionem duplicis generis scientiarum repetunt: alias esse scientias ontologicas (Seinswissenschaften), quae de

---

[1]) Irrationalismum bergsoniano similem etiam *H. de Keyserling* defendit. Docet naturam universi se manifestare per diversas diversorum temporum culturas tamquam variabilia symbola, internam autem eius naturam intuitione percipi, si liber emanet ex indole et profundo nucleo propriae personae, quem igitur unusquisque excitare atque ad efficacem manifestationem perducere debeat. „Wer immer tut, was seinem tiefsten Wesen gemäß ist, tut notwendig recht, welchen Eindruck immer sein Handeln auf andere machen mag."

rebus in se spectatis agant, ut scientiae naturales et metaphysica, alias axiologicas (Wertwissenschaften), quae de valoribus tractent, velut ethica, aesthetica, philosophia religionis.[1])

Ita *loqui solent*: „Omnis valor est aliquid, quod alicui indigentiae 281
satisfacit sive delectationem excitat. Ex quo sequitur, valorem . . numquam in re secundum se solam ut proprietatem inesse, sed semper tantum per respectum ad subiectum valorem aestimans, quatenus volendo indigentiis suis satisfacit vel emotione ad impressiones externas reagit.“[2]) „Generatim communi consensu teneri videtur, primum fontem apprehensionis valorum esse affectivam, proinde irrationalem experientiam.“ „Valores debent nobis immediate evidentes esse; non possumus eos logice demonstrare.“ „Aliquid valorem habet tantum, quatenus aestimatur.“ Idcirco interrogandum est: „quid tu revera aestimas. tu, qualis reapse es, non vero qualem te esse debere alii tibi persuadere conantur? quales sunt tui valores ex appetitivis dispositionibus naturae tuae provenientes?“ „Non possunt certe idealia statui, quae omni aetate et in omnibus gentibus valorem habeant.“[3]) „Perspicitur: haec persuasio de valoribus nullo modo ad logicam et cogitationem spectat . . immediate in emotionibus et appetitionibus

---

[1]) Cf. Ontol.[5] n. 251; Eth. I n. 121. — [2]) *Windelband*, praecipuus philosophiae valorum auctor: „Jeder Wert [bedeutet] etwas, was ein Bedürfnis befriedigt oder ein Lustgefühl hervorruft. Daraus folgt, daß die Werthaftigkeit (natürlich negativ als Mißwert ebenso wie positiv als Wert) niemals dem Gegenstande für sich allein als Eigenschaft zukommt, sondern immer nur in der Beziehung auf ein wertendes Bewußtsein, das im Wollen seine Bedürfnisse befriedigt oder im Gefühl auf die Einwirkungen der Umwelt reagiert.“ Einleitung in d. Philosophie[3] (1923) 254. — [3]) *A. Messer:* „Darüber dürfte im allgemeinen Übereinstimmung bestehen, daß der ursprüngliche Quell unseres Werterfassens ein gefühlsmäßiges, also irrationales Erleben ist.“ „Die Werte müssen uns unmittelbar einleuchten; wir können sie nicht logisch beweisen.“ Deutsche Wertphilosophie d. Gegenwart (1926) 244 s. „Etwas hat nur Wert, sofern es geschätzt wird.“ Man frage sich: „was schätzest du eigentlich tatsächlich — du, so wie du bist, und nicht, wie man dir einreden will, daß du sein solltest? Welches sind deine Werte auf Grund der Gefühls- und Willensdispositionen deines Wesens?“ „Dabei kann man auf allen diesen Gebieten darüber im klaren sein, daß nicht inhaltlich bestimmte Ideale aufgestellt werden können, die für alle Zeiten und alle Völker gelten.“ Einführung in d. Erkenntnistheorie[3] (1927) 193. 198. 200.

moralibus includuntur: simul cum illis oritur. Eius certitudo habet indolem emotionalem.[1])

282 2. *Intuitionismus phaenomenologicus* Platonem sequens intuitionem intellectualem statuit eamque praecipuum sive unicum fontem cognitionis metaphysicae et religiosae constituit. De phaenomenologismo supra egimus n. 214.

3. *Intuitionismus theosophicus* intuitionem spiritualem pseudomysticam admittit, cuius in omnibus hominibus dispositio lateat, sed in illis solum in actum transeat, qui secundum instructiones theosophicas apte praeparati sint. Hac intuitione sicut fere oculis corporis immediate percipi mundos superiores eorumque arcana, aetates praehistoricas, terrae et astrorum et antiquissimae sapientiae theosophicae mysteria, res videlicet phantastice confictas.

283 Superioribus decenniis etiam inter *apologetas* erant, qui „novam apologeticam" condere cupientes minus recte putarent, nostra aetate, antiquis motivis credibilitatis neglectis, imprimis convenientiam religionis cum interna animi humani indole, indigentiis, desideriis ostendendam esse. Inter eos eminet *Balfour*, Anglus, qui philosophiam kantianam sequens docet, persuasiones religiosas non argumentis theoreticis, quippe quae invalida sint, stabiliendas, sed propter indigentias morales et aestheticas „fide" tenendas esse. Eum sequitur *Brunetière*, qui fuit editor celeberrimus actorum periodicorum Revue des Deux Mondes. *Blondel* cum Kant et Bergson mundum externum sensatione et intellectu theoretico cognosci posse negat: hinc „novam philosophiam" condere vult docens, nihil in hominem intrare, quod non ex eo proveniat seu quod non per „actionem" ponatur; actionem autem intellegit appetitionem, qua homo propriam perfectionem et omnia, quae ad eam necessaria sunt, appetat. Eum sequuntur *Laberthonnière* in Gallia, *Semeria* in Italia.

Etiam inter *catholicos nunc* irrationalismus ex castris philosophiae modernae adveniens interdum hominum cultorum atque etiam theologorum rationem cogitandi vitiat. Inde nempe inter alia illa nimia „intellectualismi scholastici" in theologia et ascesi accusatio, despectio

[1]) *Volkelt* (quamquam in aliis adversarius irrationalismi): „Man sieht: diese Wertüberzeugungen haben mit Logik und Denken nichts zu schaffen: .. vielmehr sind sie unmittelbar in den sittlichen Gefühlen und Strebungen eingeschlossen; sie entstehen zugleich mit ihnen. Es sind Wertgewißheiten emotionaler Natur." Gefühlsgewißheit (1922) 76.

argumentorum theisticorum, despectio rationis meditandi „intellectualistae" et nimia contemplationis mysticae appetitio ac similia.

Modernismus quoque, docilis et credulus modernae philosophiae et theologiae protestanticae discipulus, haec principia plene adoptavit, ut infra dicemus.

§ 3. Iudicium de irrationalismo

Th. 34. Irrationalismo hoc verum inest, quod veritates metaphysicas cognitione quidem intellectuali, attamen plerumque indistincta et emotionibus circumdata apprehendimus (1. p.), quae speciem apprehensionis appetitivae sive intuitionis induit (2. p.). Attamen perperam ab irrationalistis cum proprie dicta apprehensione affectiva et intuitione confunditur (3. p.).

Demonst. 1. p. Cognitio veritatum metaphysicarum, religiosarum maxime, plerumque has qualitates habet: 284

1. *Cognitio indistincta,* quamquam vere intellectualis est. Si spectamus, quomodo nos aliique cognoscamus esse numen, iustitiam divinam, vitam futuram, exsistere legem moralem naturalem, has res esse pulchras, alias vero non esse, certas veritates divinitus credendas esse, plerumque invenimus, hanc cognitionem a) *indistinctam* esse, sine distinctione illa et expositione conceptuum ac rationum, quam in cognitione scientifica reperimus. Plerique homines etiam incapaces sunt conceptibus et rationibus ita explicandis. Attamen haec cognitio b) vere *intellectualis* est. Nam obiecta metaphysica intellectu apprehenduntur, qui solus supersensibilia attingere valet. Et intellectus etiam rationes percipit. Homines vulgares, si iuvantur, rationes sufficienter exprimere possunt et nos ipsi, si reflexionem instituimus, in nobis motiva detegimus, quae nos ad talem persuasionem moverunt.[1]) Itaque talis cognitio semper per se ad scientificam evehi potest, si conveniens ingenii cultus adest. Conceptus enim et rationes apprehensae reflexione detegi et in formulas scientificas redigi possunt, id quod continuo in philosophicis inquisitionibus fieri videmus.

[1]) Confer, quae de certitudine naturali exposita sunt n. 100 ss.

Itaque cognitio exposita est cognitio vere discursiva, utpote ex rationibus perspectis comparata, attamen non formaliter, verum virtualiter discursiva, in qua rationum perspicientia in unum fere actum contrahitur.

285 2. *Haec cognitio emotionibus circumdata* esse solet, quae obvia reflexione vix a cognitione ipsa discerni possunt et cum ea confluere videntur. Imprimis

a) *Emotiones comitantur* eam. Homines a natura ad vitam religiosam et moralem ordinantur; et ab initio vitae et per educationem cum obiectis moralibus et religiosis emotiones coalescunt. Sic efficitur, ut fere semper has apprehensiones lenia sentimenta comitentur, velut desiderium divini ac aeterni, fiducia in divinam bonitatem, desiderium futurae felicitatis, reverentia legis conscientiae, displicentia inhonesti, denique gratum vegetumque sentimentum ex ipsa veritatis perceptione ortum. Tales emotiones persuasionem veritatis ex arida et frigida vegetam et fervidam reddunt, ut non iam solum intellectu, sed toto animo teneatur.

b) *Emotiones excitant et firmant persuasionem,* velut desiderium immortalitatis, indigentia auxilii divini. Nam ad obiecta consideranda excitant, ex qua consideratione persuasio consequitur, et postea ad factam persuasionem firmiter tenendam impellunt. Idcirco saepe, qui tenerioris indolis emotionalis sunt, ut feminae, vel quorum vita emotionalis pravis passionibus depravata non est, firmius religionem tenent. Et Spiritus S. ipse fidem supernaturalem firmam reddit, quatenus „dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati".[1])

Hac ratione cognitiones nostrae ideales non in solo intellectu, sed in toto subiecto radicantur et ex eo promanant. Proinde talis „intellectualismus" reiciendus esset, qui vel putaret persuasiones ideales tantum discursu scientifico comparari, vel qui partes ignoraret, quae in hac re emotionibus tribuendae sunt.

---

[1]) Conc. Araus. II.

Demonst. 2. p. 1. Cognitio veritatum metaphysicarum 286
speciem apprehensionis appetitivae sive fidei induit. Nam plerumque emotionibus circumdata et praeterea obscura est, denique tam sponte, facile, sine attenta rerum consideratione et studio oritur, ut mirum non sit, quod multis irrationalistis videatur non esse operatio intellectualis, sed motus appetitivus erga obiectum. — Sed minime formaliter motus affectivus est. Stipata est emotionibus, sed non ipsa est emotio, verum actus intellectus.

2. *Speciem intuitionis* induit. Intuitio dicitur immediata perceptio spiritualis sponte oriens, obscura quidem, attamen vivida absque pallore ratiocinationi discursivae propria. Atqui cognitio veritatum idealium revera speciem talis perceptionis induit. Nam quia explicita illa compositione conceptuum et rationum caret, quae in discursu formali invenitur, et quia ita vis cognitionis non in longum distracta, sed quasi in simplicem apprehensionem contracta est ideoque maiore lumine et evidentia pollet, quia denique sponte et facile oritur, mirum non est, quod irrationalistis immediata perceptio intuitiva esse videatur. — Sed minime formaliter et vere intuitio est.

Itaque duplex pars est in tali naturali cognitione, cognitio virtualiter tantum discursiva et emotiones. Hoc alterum fideistae magis attendunt ideoque cognitionem illam apprehensionem affectivam interpretantur, alterum vero intuitionistae spectant et intuitionem interpretantur; alii vel plerique modo unum modo alterum attendentes inconstanter sic et aliter loquuntur.

De experientia vitali (Erleben). Irrationalistae fidem 287
suam vel intuitionem saepe experientiam vitalem appellant. Et id quidem non sine veritate, sed pariter non sine veritatis obscuratione. Idem verbum generatim hodie latissimum usum adeptum est. Quare accuratius explicandum esse videtur.

Experientia vitalis dicitur *experientia,* utique interna, immediata igitur perceptio conscientiae; et dicitur *vitalis,*

ergo talis, quam vivendo, proinde per actus vitae internae obtineamus. Eiusmodi experientia *ita admittenda* esse videtur.

1. Propriissime tantum *facta interna propria* sic vitaliter experimur, nempe cognitiones, emotiones, volitiones, subiectum nostrum. Haec enim eaque sola immediate experimur et ad hanc perceptionem ipsis actibus vitalibus determinamur.

2. Etiam *influxum rerum externarum* in nostram vitam psychicam dici possumus vitaliter experiri, attamen paulo *minus proprie.* Sed dicere solemus nos talia vitaliter experiri, e. g. quanta sit inconstantia fortunae, insufficientia et fallacia rerum terrenarum, quanta sit delectatio, quam amor maternus, quam pulchritudo artis nobis afferant, quantus sit fructus salutaris sacramentorum. In his et similibus immediate experimur facta interna tranquillitatis, felicitatis, amaritudinis, puritatis animi. Simulque percipimus ea produci per influxum rerum externarum. Attamen hoc ipsum non immediata conscientia experimur; tantum mediate percipimus, iucundas emotiones sive tranquillitatem ab amore matris, a virtute sacramentorum, amaritudinem a rerum inconstantia venire.[1])

288 3. Denique saepe nos *veritatem aliquam vitaliter experiri* dicimus, velut esse providentiam et iustitiam divinam, esse summum bonum, religionem catholicam veram esse. Hoc paulo attentius considerandum est, quia propius quaestionem praesentem attingit.

a) Saepe aliquid verum esse eatenus vitaliter experiri dicimus, quatenus hoc obiectum sive eius apprehensio in nobis certas *affectiones producit,* e. g. Deus et futura retributio tranquillitatem, satisfactionem, desideriorum quietem, e contrario apprehensio perpetuae annihilationis inquietu-

[1]) Magis proprie vel simpliciter proprie talia immediate experimur, quae sit pax conscientiae, quam virtus, quae sit felicitas, quam religio afferat. Nam exercitium virtutis et religionis potissimum res internae sunt. — Dicimus etiam ita: „In vita mea multa dura, mortem carorum, infidelitatem amicorum, calamitates negotiorum expertus sum“ (erlebt). Sed de hac experientia pure externa non loquimur.

dinem. Facile perspicitur nos non immediate ipsam veritatem obiecti experiri, sed solum effectum iucundum sive iniucundum in nobis productum, ex quo effectu ad veritatem concludimus: quod nobis talem tranquillitatem, complacentiam, animi quietudinem afferat, non posse esse falsum vel inhonestum. Latet igitur discursus (virtualis), attamen tantopere coalescens cum experientia emotionum, ut ad experientiam pertinere videatur. Sed experientia ut talis solum ad affectiones, non ad veritatem ipsam refertur.

Simul elucet eiusmodi conclusiones ex affectionibus internis ad veritatem facile fallere. Etiam errores et abiectio veritatis molestae, velut liberatio a fide catholica, ad aliquod tempus iucundas emotiones producere possunt.

b) Saepe autem propterea veritatem vitaliter experiri videmur, quia non tantum affectiones, quas diximus, sed insuper *evidentiam veritatis cognitae experimur* i. e. tum ipsam vividam cognitionem certam (evidentiam subiectivam) tum adiunctam emotionem evidentialem, sentimentum videlicet satisfactionis, delectationis, quietudinis de veritate possessa; quod saepe valde vividum est. Sic magis proprie dicere possumus nos veritatem vitaliter experiri, nempe actibus vitalibus intellectus et appetitus; sed neque ita vere proprie, quia cognitio evidens veritatis idealis tantum mediata est, quamquam ita mediata, ut vix conscientiam discursus habeamus.

Sed etiam in hac „experientia vitali veritatis" facillime illusio contingit, si nobis videtur genuina evidentia esse, quae tantum apparens est, et satisfactio emotionalis non ex genuina evidentia, sed aliunde provenit.

Th. 35. Quatenus irrationalismus docet nos res metaphysicas non cognitione discursiva rationis, sed fide appetitiva vel intuitione apprehendere, verae naturae et dignitati cognitionis adversatur (1. p.) et genuino idealismo valde damnosus est (2. p.).

Demonst. 1. p. Irrationalismus duas partes continet, unam 289
negativam, alteram affirmativam: I) denegat intellectui fa-

cultatem discursive veritates ideales cognoscendi, immo fideismus ei omnem eas cognoscendi facultatem denegat, II) affirmat has apprehensione appetitiva vel intuitione apprehendi. Atqui tum pars negativa tum affirmativa verae naturae atque etiam dignitati cognitionis humanae adversatur. Ergo.

Demonst. min. I) Intellectus habet facultatem cogitatione discursiva supersensibilia et quidem cum certitudine cognoscendi (n. 206); quae operatio plerumque tantum virtualiter discursiva est, sed per se in formaliter discursivam converti potest. Ergo irrationalismus haec negans naturae et dignitati cognitionis adversatur.

Demonst. min. II) Fides appetitiva et intuitio, quales statuuntur, pariter naturae et dignitati cognitionis contrariae sunt.

290 1. *Fides appetitiva* sive emotionalis describitur motus appetitivus, simul autem persuasio sive actus, quo aliquid ut verum teneatur. Iam vero

a) *Persuasio* de aliqua re, qua igitur aliquid verum tenetur, certe actus intellectus est, cuius solius est aliquid ut verum tenere sive affirmare. Appetitus vel emotio tantum velle et affectare potest, ut aliquid verum sit, sed persuasionem de veritate habere non potest; id aeque impossibile est sicut aure videre vel oculo audire.

b) Fides dicitur persuasio sive certitudo talis, quam intellectus approbare sive *demonstrare nequeat.* Iam vero repugnat naturae rationali, qualis per clarissimam experientiam manifesta est, ut nobis serio de aliquo persuasum sit, quod intellectus verum cognoscere nequeat, sed dubium habere debeat. Aliter: fides illa nihil est nisi caecus impulsus et fictio. Repugnat autem persuasio caeca et fictitia.

c) Etiam magis impossibilis talis fides est, si omnem intellectus operationem praecedere dicitur. Nempe irrationalistae asserere solent, emotionem religiosam, homini a natura insitam, praecedere omnem mentis apprehensiones, intellectum autem postea super obscurum hunc sensum emo-

tionalem supervenire et conari eum exponere et interpretari ideis symbolicis. Sed emotio, velut indigentiae, desiderii, non potest esse sine obiecto repraesentato, proinde supponit apprehensiones.

2. *Intuitio*, qualis describitur, pariter adversatur naturae 291
cognitionis nostrae.

a) Quotidiana omnium experientia (exceptis paucis intuitionistis) testatur nos *non habere* talem intuitionem veritatum idealium. Si eam haberemus, possemus eam sicut alia facta psychica in nobis detegere. Cognitio Dei, quam in nobis invenimus, est cognitio ex creaturis, proinde mediata seu discursiva. Idem de aliis veritatibus dicendum est.

b) Etiam magis repugnat intuitio eo modo irrationalis, ut intellectus eius veritatem agnoscere et approbare nequeat. Interdum enim intuitionistae affirmant de veritate intuitionis intellectui constare non posse. Etiam de veritate aliarum intuitionum, quibus actus internos percipimus, nobis certo constare potest.

Demonst. 2. p. Idealismus (metaphysicus) est idealis 292
mundi vitaeque conceptio[1]), ad eamque maxime genuina religio et doctrina moralis pertinet et utriusque exercitium. Iam vero huic idealismo irrationalismus admodum damnosus est. Nam ita

1. *Idealismus omnino subiectivus redditur*, i. e. non iam est expressio ordinis obiectivi et absoluti, sed dependens redditur a subiecto eiusque indole personali ac variabili. Fides enim emotionalis atque etiam intuitio, sicut proponi solent, emanare dicuntur ex subiecto, e psychica eius indole, eius vita vitaeque nisu; his conformes et congeniales sunt iisque determinantur. Nemini igitur iam demonstrari poterit suam rerum conceptionem religiosam, moralem, aestheticam esse vitiosam; semper enim respondere potest eam sic ex animo suo fluere, se eam sic sentire, has esse indigentias suas.

[1]) Welt- und Lebensanschauung.

a) Sic igitur idealismus *norma obiectiva caret* legisque expers redditur. Nam fides et intuitio, iudex supremus, sequitur „indigentias personales"; sintne autem hae ordinatae necne, non iam ex norma superiore iudicari potest. Eadem ex „vita" promanat eiusque exercitio et evolutioni accommodatur; qualis autem haec vita eiusque directio et finis esse debeant, non iam dicitur nec superiore norma diiudicari potest.

b) Sic *omnia admittenda* sunt, licet intolerabilia et inter se opposita, aeque religio Christi ac Muhamedi, sapientia Epicuri et Sanctorum, subiectio sub fide et libertas a fide, quando subiectum ea tamquam vitae suae convenientia experitur. Haec enim experientia autonoma statuitur; ratio ea, quae animus experitur, nec vera nec falsa ostendere potest. Id irrationalistae expresse dicunt, praesertim fideistae. Sed etiam qui intuitionismum intellectualem defendunt, ad similem subiectivismum deveniunt, quia unusquisque asserere potest se haec ita intueri, quidquid dicant alii.

Id reapse evenire cernimus. Plerisque persuasum est de sanctitate amoris et misericordiae, Nietzsche autem eiusque asseclae experiuntur misericordiam erga miseros damnandam esse. Boni christiani obligationem credendi et Deum personalem profitentur; irrationalistae autem plerumque experiuntur libertatem cogitandi et pantheismum tenenda esse. Schelling intuetur ens absolutum tamquam identitatem inter esse et cognoscere, Schopenhauer tamquam velle, Bergson ut continuum fieri et agere, theosophistae denique affirmant se remotissimas aetates et orbes caelestes intueri. Hae theosophisticae intuitiones lucide ostendunt, quam arbitrarie ista intuitio autonoma se gerere possit.

293 2. *Idealismus in relativismum abit.* Si enim ex indole subiecti prodit, cum variabilibus temporum, classium, individuorum inclinationibus vitaeque formis variatur. *Scepticismo* absumitur, quia a veritate obiectiva dissolvitur. Intuitionismus vitalis prope ad *pragmatismum* accedit, qua-

tenus id instar veritatis habendum esse dicit, quod ad vitam fovendam conducat.

3. *Irrationalismus speciatim auctoritati fidei* et Ecclesiae infenus est. Experientiam suam autonomam primum fontem religionis ducens dogmatibus se subicere renuit, quod extrinsecus proponantur et omnibus communia esse velint, cum religio aliquid personale esse debeat. Irrationalismus enuntiationes fidei plerumque affirmat tantum symbola esse, quibus ratio exponere conetur, quod experientia interna sentiat; proinde ea tamdiu retinenda esse, quamdiu internam religiositatem foveant, non autem ut expressiones veritatis absolutae credenda esse.

4. Itaque periculum est, ne irrationalismus plenum *pseudoidealismum* gignat. Etenim

a) Idealismum *confusum* et vagum creat, qui tantum quoddam „sanctum", „supremos valores", „vitae indigentias" veneratur, quas singuli ad arbitrium interpretantur.

b) Idealismum *effrenatum* gignit a lege veritatis obiectivae liberum et inclinationibus vitiatae naturae commodum.

c) Idealismum *illusorium* creat, qui veritates ideales suggestiones subiectivas efficit.

Neque casu tantum accidit, ut irrationalismus hodiernus in *pantheismum* desinere soleat. Idcirco enim homo in se ipso fontem divini et revelationem numinis experiri existimat, quod divinum et absolutum in se vivere putat.

Obiectiones. 1. Qualis est indoles hominum, talis est modus, 294
quo in religione et tota vita apprehendunt et agunt. Atqui duplex est indoles, aliorum intellectualis, aliorum potius emotionalis. Ergo etiam duplex est modus apprehendendi, apud alios intellectualis, apud alios autem emotionalis ad modum irrationalismi. — *Resp.* D. mai. ita ut natura cognitionis intellectualis semper essentialiter eadem maneat et tantum accidentaliter varietur claritate, facilitate, adiunctis emotionibus C. ut essentialiter in aliam mutetur N. Cd. min. quae differentia est essentialis N. accidentalis C.

2. Cognitiones religiosae, morales et similes magno vigore, vi et evidentia praeditae sunt, cognitiones autem rationis discursivae, velut mathematicae, philosophicae ea carent. Ergo illae non sunt cognitiones rationis discursivae. — *Resp.* D. mai. et haec vis ac evi-

dentia saepe tantum affectiva est et falsa, quando scilicet cognitiones falsae sunt C. saepissime genuina est Sd. et tali vi carent cognitiones naturales virtualiter discursivae N. carent discursivae scientificae Sd. carent evidentia N. carent illa spontanea vi vivida et affectiva cognitioni naturali plerumque propria C.

Art. 6. De pragmatismo

295 *Pragmatismus* est doctrina philosophica recens, quae docet, cognitiones sive sententias ex hoc ultimo valorem et veritatem accipere, quod practicis finibus sive utilitatibus vitae inserviant sive quod sint apta instrumenta ad mundum realem finibus vitae nostrae subiciendum (power to work). Itaque utilitatem esse criterium veritatis, immo ipsam veritatem. Res enim, quales in se sint, cognosci non posse; cognitionem activitati et vitae inservire debere. E. g. materialismum reiciendum et theismum tenendum esse non propter argumenta metaphysica, sed quod theismus laetam activitatem promoveat, materialismus autem ad languorem et desperationem inducendam conferat; quae nullam utilitatem afferant, velut quaestiones metaphysicas de attributis Dei, nullam continere veritatem et relinquenda esse.

Pragmatismus una ex parte ex conatu in se legitimo ortus est, ut contra immoderatum intellectualismum, qui scientiam nimis propter se ipsam colit, inculcet etiam scientiam finibus practicis inservire debere. Altera autem ex parte et praecipue originem petit ex idealistica ignoratione veritatis tamquam conformitatis cognitionis cum re. Cognitiones enim pro meris affectionibus subiecti habet, valore obiectivo fere ignorato. Sicut igitur aliae affectiones et actiones subiecti, ut ambulare, equitare, comedere, subiecto prodesse debent, ita etiam postulat, ut cognitiones utilitati inserviant. Sed sicut subiectivismus etiam pragmatismus fere tantum cognitiones *supersensibiles* respicit; postulat, ut maxime in his utilitatis criterium adhibeatur. Itaque pragmatismus admodum propinquus est fideismo et experientiae illi vitali, quae apprehensionem rerum meta-

physicarum hauriri seu hauriendas esse dicit ex sensu indigentiarum vitae.

Pragmatismus praeparatus quidem est doctrinis aliis 296
dudum in philosophia grassantibus. Sed explicite efformatus est recenti tempore in America. Eius praecipui auctores sunt *Ch. Peirce, F. C. Schiller,* qui pragmatismum suum humanismum appellat, *J. Dewey,* maxime vero *W. James* († 1910). Ex America in alias regiones divulgatus est. Inter alios pragmatismo propinqui sunt omnes illi, qui intuitionismo vitali supra descripto adhaerent.

W. James haec docet: „Verum est species boni (truth is one species of good), non autem, sicut communiter admittitur, categoria alia, bono coordinata. Vera est omnis persuasio intellectualis, quae ex certis rationibus bona cernitur." „Si ideae theologicae aliquid ad vitam realem conferunt, secundum pragmatismum hoc sensu verae sunt, quod illud ipsum bonum in se habent." „Veritas alicuius apprehensionis non est proprietas immobilis ei inhaerens . . apprehensio fit vera, eventibus efficitur vera."[1]) „Veritas et error", inquit E. Mach, „ex iisdem fontibus psychicis fluunt; tantum effectus eos discernere potest."[2]) Veritas secundum F. C. Schiller est „utilitas", „id quod conducit ad fines nostros [„usefulness", „conduciveness to our ends"[3])].

Th. 36. Pragmatismus, licet aliqua sana veritatis semina contineat (1. p.), tamen sine dubio naturae veritatis graviter adversatur (2. p.) et dignitatem veritatis religiosae ac moralis destruit (3. p.).

Demonst. 1. p. In pragmatismo verum est et cum eo 297
contra intellectualismum immoderatum inculcandum est, scientiam humanam non propter se solam tractandam esse, sed finibus vitae religiosis, moralibus, materialibus inservire debere. Etiam concedendum est, verum plerumque sub aliquo respectu bonum sive vitae praesenti futuraeve conveniens esse, e contrario autem falsum plerumque sub aliquo respectu nocumentum afferre, itaque

[1]) Pragmatism, a New Name for some Old Ways of Thinking (1907) II VI Vers. germ. a Jerusalem[2] (1927) 48. 46. 126. — [2]) „Erkenntnis und Irrtum fließen aus denselben psychischen Quellen; nur der Erfolg vermag beide zu scheiden." Erkenntnis und Irrtum[4] (1920) 116. — [3]) Humanism (1903); Studies in Humanism (1907).

aliqua ratione ex bonitate ad veritatem concludi posse. Ita ex fructibus salutaribus religionis christianae ad eius veritatem, ex pessimis autem sequelis atheismi ad falsitatem eius concluditur. (Sed non ex omni bonitate ad veritatem neque ex omni nocumento ad falsitatem conclusio fieri potest, multo minus veritas et utilitas idem sunt.) Ergo pragmatismus aliqua sana veritatis semina continet.

298 **Demonst. 2. p.** Pragmatismus graves errores contra naturam veritatis continet. Ergo naturae veritatis graviter adversatur. Antecedens per partes probatur.

1. Pragmatismus docet *veritatem esse utilitatem* ad agendum et vivendum. Atqui hic est gravis error contra naturam veritatis. Nam

a) Veritas ab omnibus intellegitur *conformitas* cognitionis cum re, non vero utilitas; verum et utile sive bonum diversae habentur notiones et ordines. Homines non propterea religionem christianam veram, atheismum autem vel systema ptolemaicum falsum habent, quod religio christiana utilitatem, atheismus autem et systema ptolomaicum nocumentum afferant. Neque ea, quae vera esse dicunt, utilitate, sed argumentis demonstrare conantur.

b) *Multae veritates non sunt utiles,* sed respectu vitae temporalis ingratae sunt et agendi fervorem minuunt, e. g. quod aegrotus dolores patitur, quod homo moritur, quod mundus finem habebit. In aliis veritatibus saltem vix quisquam de utilitate cogitat, v. g. in veritatibus mathematicis, astronomicis vel in hac veritate, quod Demosthenes et Aristoteles coaevi fuerunt. E contrario *falsa saepe nullum nocumentum* afferunt, e. g. iudicium, quod non Alexandrum, sed Philippum victorem Darii esse dicit. Vel etiam utilitatem conferunt; ita iudicium falsum, quod mendacium licitum esse dicit, ex angustiis liberare et negatio immortalitatis fervorem in augendis bonis huius vitae promovere potest.

2. Pragmatismus docet vel certe ex principiis suis concludere debet, veritatem esse *relativam et mutabilem.* Nam

veritas tamquam utilitas hominum indigentias respicit; indigentiae autem variae et mutabiles sunt. Sic potest uni theismus melior esse, quatenus ei solatium et spem praebet, alteri autem vitiis obstricto atheismus utilior videri potest, quia libertati favet; uni nationi hoc, alteri contrarium, uni aetati pro suo statu intellectuali, sociali, religioso hoc utile et verum esse potest, alii contrarium, ut igitur opposita simul vera esse queant. Ideo pragmatistae dicunt, non unam „veritatem", sed multas esse „veritates" individuales. (Neve dicatur, non quaecumque, sed vera hominis bona et utilitates veritatis criterium esse. Ita enim ad discernenda vera a falsis bonis iam aliud praeter utilitatem criterium requiritur et pragmatismus relinquitur.) Atqui gravis error est dicere veritatem esse relativam et mutabilem et opposita simul vera esse posse; veritas enim, utpote conformitas cum sua re, tantum una et immutabilis est. Ergo.

Demonst. 3. p. Pragmatismus *indigentias huius vitae ul-* 299
timum criterium veritatis esse statuit. Atqui sic dignitatem veritatis religiosae et moralis in grave periculum inducit ac penitus destruit. Nam cognitio et veritas debent quidem, sicut alia in homine, finibus huius vitae inservire, sed finibus veris et recto ordine, imprimis igitur fini ultimo, deinde in recta subordinatione sub hoc fine aliis bonis, quae et quatenus ad finem ultimum conferunt. Sic autem supponitur vera cognitio et distinctio finium, quales sint recti et quales pravi. Pragmatismus autem hanc cognitionem praebere non potest, quia criterium ultimum indigentias experientia percipiendas statuit, ulterius autem criterium, secundum quod de his indigentiis iudicandum sit, non agnoscit. Sic autem omnes indigentiae aequo iure fruuntur et quodlibet verum efficitur, quod quibuslibet eius indigentiis sive ordinatis sive inordinatis convenit, ideoque veritas omnibus placitis hominis famulari debet; homo veritates sanctissimas tamquam sibi parum convenientes, inutiles, nocivas reicere, quoslibet errores ut sibi convenientes amplecti potest, ἄνθρωπος

μέτρον πάντων efficitur.[1]) Perveniendum est ad illud: „Falsitas iudicii nobis nondum exceptio contra iudicium est. Sed quaeritur, quantopere vitae promovendae et conservandae utile sit.“[2])

Art. 7. De relativismo

300 1. *Relativismus* est sententia, quae docet hominem non cognoscere veritates absolutas et immutabiles, sed tantum relativas et mutabiles, i. e. de iisdem rebus diversis aetatibus, in diversis hominum classibus atque etiam individuis aeque diversa et opposita iudicia et sententias admittenda esse, quae ex diversa eorum indole et condicione oriantur eique respondeant. Id maxime in rebus metaphysicis locum habere; ad res enim supersensibiles assertio allata fere restringi solet (nam in rebus experimentalibus evidentiae nimis contradiceret). Nullam igitur philosophiam et religionem perennem neque ulla dogmata perpetuo vera admittenda esse.

Ergo relativismus non tantopere nova doctrina praeter alias, sed potius aliarum consectarium est. Praecipua eius radix est *subiectivismus idealisticus* cum *positivismo* sociatus, secundum quem homines ordinem obiectivum, ut in se est, praesertim quod metaphysica attinet, cognoscere nequeunt, proinde tantum diversas de iis apprehensiones sibi efformare possunt secundum modum diversum, quo singulis apparent; qui modus a diversa hominum indole et condicione pendet. Haec cognitionis conceptio magna cum claritate apparet in *phaenomenalismo,* qui putat nos tantum

---

[1]) Hoc verbum etiam *F. C. Schiller* adoptat tamquam formulam pragmatismi sui, quem humanismum appellat. Docet, „that the philosophic problem concerns humans beings striving to comprehend a world of human experience by the resources of human mind.“ Stud. in Human. (1907) 12. — [2]) *Nietzsche*: „Die Falschheit eines Urteils ist uns noch kein Einwand gegen ein Urteil. Die Frage ist, wie weit es lebensfördernd, lebenerhaltend ist.“ Jenseits von Gut und Böse. I 4. WW. VII 12.

rerum phaenomena (subiectiva) percipere, praeterea in *symbolismo*, qui docet cognitiones nostras de rebus metaphysicis non plus esse quam diversa symbola veritatis incognoscibilis, et maxime in *irrationalismo* fideistico et *pragmatismo*, qui apprehensiones rerum ex variabili experientia proprii emolumenti prodire arbitrantur. Accedunt denique *evolutionismi* moderni principia, secundum quae sicut omnia ita etiam natura vitaque interna hominis in varias aetates mutatur itaque etiam varias persuasiones et sensa producit: illae persuasiones rectae esse dicuntur, quae singulis evolutionis epochis accommodatae sint, quid autem cuique aetati conveniat, „heroes spiritus", philosophi scilicet sive homines docti, decernere debent.

Veritatis relativae defensores plerumque sic loquuntur, quasi tantum asserere velint, cognitiones nostras non absolutum veritatis gradum attingere, sed semper ulterius perfici posse, atque etiam erroribus infici, qui corrigi debeant. Attamen revera oppositis sententiis de iisdem obiectis locum concedunt, quod ex eorum verbis et maxime ex rationibus elucet, quibus doctrinam suam demonstrant.

Relativismus, cui etiam recens modernismus adhaeret, ab Ecclesia damnatus est. In decreto „Lamentabili sane exitu" (3. Iulii 1907) damnata est prop. 58 [1]): „Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur."

2. Relativismus praecipue metaphysicam et religionem 301
inficit, in qua omni aetati, immo etiam individuo sua philosophia et religio propria conceditur atque postulatur, et ethicam, in qua absolutae et universales leges morales negantur. Atque etiam repudiationem veritatis christianae excusare debet: „ecclesiasticum systema doctrinale", aiunt, „non possumus simpliciter et sine mutatione iterum recipere, nisi ex praesenti in tempus praeteritum fugiamus." [2]) Non-

[1]) Ex *Loisy*, Autour d'un petit livre, sumpta est. — [2]) *Eucken*: „Das kirchliche Lehrsystem einfach und unverändert wieder aufnehmen können wir nur bei einer Flucht aus der Gegenwart in die Vergangenheit." Zeitschrift für Philos. u. philos. Kritik 112. p. 165.

numquam etiam a scriptoribus catholicis in institutionibus et vita interna Ecclesiae iusto plura „relativa" inveniuntur, ut appareat sub termino vitiato ideas haud illaesas mansisse.

Aliquae loquendi formulae hunc errorem ostendant. „In ordine organico nihil absolute constans exsistit; omnia in eo facta omniaque mutabilia sunt. Idem igitur etiam in organisatione intellectuali locum habuerit." „Historico-genetica cogitandi ratio veritatibus absolutis renuntiavit; logica et mathematica exceptis [?] veritates tantum relativae, non vero aeternae exsistunt."[1]) „Cassum est velle quasdam permanentes formas principales intellectus, realia et constantia elementa mentis secernere ac tenere."[2]) „Veritas fit temporis filia. Clarum est id vitam pleno relativismo subicere, attamen talis relativismus, postquam antiqua cogitandi ratio valore destituta est, terribilis esse plane desiit."[3]) Cf. etiam Ontol.[5] n. 115; Eth. I n. 251.

Th. 37. Absonum est dicere, non exsistere veritatem absolutam et immutabilem, sed tantum relativam et mutabilem.

302 **Declar.** Ut clarius appareat, quo sensu veritas relativa reiciatur, haec praenotanda sunt.

1. *Concedenda* est in cognitionibus et sententiis humanis aliqua relativitas et mutabilitas, et quidem duplex potissimum:

a) *Cognitio veritatis* mutari potest, quatenus, quae prius non adaequate vel minus distincte vel tantum probabiliter cognita vel forte ad modum hypothesium proposita erant,

[1]) *F. Paulen:* „Es gibt nichts absolut Beständiges in der organischen Welt; alles in ihr ist geworden und alles wandelbar. Dasselbe wird also auch von der intellektuellen Organisation gelten." Einleitung in d. Philosophie[3b] (1923) 438. „Die historisch-genetische Denkweise hat die absoluten Wahrheiten überhaupt aufgegeben: es gibt, abgesehen von der Logik und Mathematik, nur relative, nicht ewige Wahrheiten." Imm. Kant[1] (1904) 420. — [2]) *E. Cassirer:* „Es ist vergeblich, gewisse beharrliche Grundgestalten des Bewußtseins, gegebene und konstante Elemente des Geistes aussondern und festhalten zu wollen." Das Erkenntnisproblem (1906) 6. — [3]) *Eucken:* „So wird die Wahrheit ein ‚Kind der Zeit'. Das unterwirft augenscheinlich das Leben einem völligen Relativismus, aber solcher Relativismus hat mit dem Hinfälligwerden der älteren Denkweise allen Schrecken verloren." Geistige Strömungen der Gegenwart (1904) 197.

postea plenius, distinctius, certius cognoscuntur et quod errores corriguntur. Ita ipsa cognitio veritatum fidei in annos perfici et in plenius evolvi potest; quod antea indistincte et solum implicite cognitum est, postea distincte et explicite apprehenditur. Attamen ita non ipsa veritas, sed veritatis cognitio mutatur.

b) *Res cognoscendae* mutari possunt, ut de iis diversis temporibus et in diversis condicionibus diversa et opposita vera esse queant. Servitus imperfecta in diversis temporum adiunctis antea tolerabilis, postea intolerabilis, monarchia hic conveniens, alibi inconveniens, idem scholarum typus olim conveniens, postmodum antiquatus, acceptio foenoris antiquitus illicita, nunc licita dici poterit. Sed in his exemplis non de eadem re, sed de diversis rebus diversa vera sunt.

2. Sed *neganda* est veritas relativa ita intellecta, ut dicantur de iisdem obiectis diversa et opposita vera esse posse. Talem veritatem relativam in thesi reicimus.

Demonst. 1. Veritas est conformitas cognitionis cum re, 303
cum ordine obiectivo a cognitione independenti, sive consistit in eo, quod assertio iudicio expressa conformis est cum re, de qua asseritur. Atqui haec conformitas est absoluta et immutabilis, non vero relativa et mutabilis. Nam cum res, de qua assertio fit, non possit simul esse talis et non talis, ipsa et non ipsa, assertio rei conformis semper est conformis et vera, difformis vero semper difformis et falsa est ac manet.

Aliter. Absonum est dicere, posse assertionem Dei personalis hac aetate veram esse, alia falsam, potuisse antiquitus verum esse, Christum esse Deum, nunc autem non amplius.

2. *Alio modo.* Non est admittendum, quod relativistae dicunt, rectitudinem sententiarum diiudicandam non esse ex eo, utrum ordini obiectivo immutabili conformes sint necne (quippe quem nesciamus), sed tantum ex hoc, utrum

congruant cum respondenti statu intellectuali sive cum indigentiis cuiusque aetatis vel hominis necne. Nam a) falso supponitur nos non posse cognoscere res, ut in se sunt, ideo in cognitione non veritatem absolutam, sed tantum convenientiam cum mutabilibus subiectis quaerendam esse. b) Licet cognitiones saepe vel plerumque emolumenta conferant et indigentiis satisfaciant, tamen ex omnium persuasione rectitudo cognitionum ut talium formaliter in conformitate cum rebus consistit, proinde hoc primario in iis spectandum est.

3. Relativismus ipse aut verus est aut non. Si verus est, exsistit aliqua veritas absoluta et immutabilis; sin minus, iam non est admittenda veritas relativa, sed absoluta.

304 **Nota.** Adversarii ad defendendam veritatem relativam varias rationes afferre solent, ex quibus hae praesertim commemorandae sunt.

1. *Omnia in continua evolutione* posita esse dicunt, naturam, hominem eiusque vitam ac mores atque imprimis etiam ipsam mentem eiusque cognoscendi indolem et leges. Non posse igitur omni tempore idem semper asserendum et verum esse.

Resp. a) Quod *naturae* essentias et leges attinet, in se quidem non repugnat, ut alio tempore aliae res exsistant cum aliis essentiis et aliae leges, quam praesentes sunt; de quibus igitur alia asserenda essent. Attamen hac ratione non haberetur veritas relativa, quia diversa illa non de iisdem, sed de diversis rebus vera essent. — Omnes autem admittimus et recte quidem, essentias legesque naturae substantialiter easdem manere.

b) Natura *humana* in accidentalibus quidem, quoad staturam, colorem, vires, sanitatem mutari potest, attamen spectatis essentialibus non transmutatur in aliam. Semper manet creatura, quae Deo subiecta esse debet, semper rationalis manet, cui intemperantia et mendacium adversatur,

semper homines inter se similes et substantialiter coordinati sunt mutuoque auxilio indigent; ideo plurima praecepta moralia absoluta et immutabilia sunt. (Si homines in essentialibus mutarentur seu potius si loco horum alii homines aliquando exsisterent, idem dicendum esset, quod antea: de his aliis alia vera essent, non autem de iisdem.)

c) Denique *evolutio mentis* humanae aliqua quidem admittenda est, scilicet illa *accidentalis,* qua individua et generationes uberiore experientia, labore scientifico, instructione, exercitatione novas cognitiones vel maiorem habitum ordinate, accurate, celeriter cogitandi et examinandi acquirunt et errata corrigunt. Sed minime admittenda est talis, qua eius indoles *essentialis* vel leges cogitandi in aetates mutentur. Praeterquam enim, quod historia (v. g. linguarum) ostendit mentem humanam semper eandem fuisse, absurdum est cogitare, menti posse idem, quod nunc verum esse perspicit, postea evidenter falsum apparere.

2. ***Progressum intellectualem*** generis humani postulare 305
dicunt, ne semper in eodem statu intellectuali et in iisdem semper veritatibus asserendis haereamus. Ubique enim, maxime in ordine organico perpetuum esse evolutionis progressum ad formas usque perfectiores; similem igitur necessarium esse progressum in scientia, philosophia, religione. Itaque in religione non semper iisdem standum esse dogmatibus, sed religionem, christianam etiam, perficiendam esse modo nostrae aetati consentaneo (videlicet tollendo mysteria, miracula, omnia denique supernaturalia, maxime vero oboedientiam fidei). Propterea etiam principia religionis catholicae, quae veritatem absolutam et dogmata immutabilia statuat, impedimentum esse progressus humani.

Resp. a) Progressus *non postulat,* ut ad novas antiquis *oppositas* sententias transeatur, sed per hoc iam obtinetur, quod antiquae veritates distinctius et plenius cognoscuntur vel praeterea alia, quae prius ignota erant, addiscuntur. Sane progressus astronomicus non requirit, ut praecipua

capita systematis kopernicani deserantur et ad Ptolemaeum fiat regressus.

b) Progressus *retat,* ne continuo, quae obtenta sunt, relinquantur et cum oppositis commutentur. „Progressus" enim, in quo non veteribus retentis nova superstruuntur, sed veteribus reiectis perpetuo nova succedunt, non est progressus, sed continua inter progrediendum et regrediendum, inter aedificationem et destructionem vicissitudo, contraria omnino *evolutioni organismi* ex semine ad formam perfectiorem progredienti, quae omnis genuinae evolutionis exemplar est.

*Art. 8. De modernismo

*306 **Modernismi descriptio.** 1. Ex fine saeculi praeteriti in regionibus catholicis Americae, Galliae, Angliae, Italiae et etiam Germaniae novae quaedam ideae et conatus observari poterant. Huc spectabant americanismus reprobatus a Leone XIII in Litt. „Testem benevolentiae" (1899), qui maiorem libertatem maioremque aestimationem virtutum activarum prae passivis (oboedientia et humilitate) postulabat, spectabat liberior s. Scripturae interpretatio, vilipensio theologiae et philosophiae scholasticae, „nova apologia" in Gallia et alia. His omnibus commune erat, ut maior accommodatio ad „modernam mentem et culturam" postularetur. Istae ideae ab aliquibus auctoribus et foliis periodicis (Loisy, G. Tyrrell, Fogazzaro, Romulo Murri, fol. period. Rinnovamento, „Zwanzigstes Jahrhundert", Programma dei modernisti) invicem copulabantur et scientifice explicabantur, ut iam in systema coalescerent. Ita in systema redacta et explicata proponuntur in Encyclica „Pascendi" (1907) et nomine modernismi designantur. In ea modernismus, quatenus eius fundamenta philosophica spectantur, ita describitur:

*307 2. „Philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo agnosticismum vocant. Vi huius humana ratio phaenomenis omnino includitur, rebus videlicet, quae apparent, eaque specie, qua apparent, earundem praetergredi terminos nec ius nec potestatem

habet . . His autem positis quid de naturali theologia, quid de motivis credibilitatis, quid de externa revelatione fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt et ad intellectualismum amandant; ridendum, inquiunt, systema ac iam diu emortuum."

„Hic tamen agnosticismus in disciplina modernistarum nonnisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in immanentia vitali constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt . . Cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in subconscientia, ubi etiam illius radix occulta manet". „Indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum fideismi scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem commovet sensum: hic vero divinam ipsam realitatem tum tamquam obiectum tum tamquam sui causam intimam in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic sensus, quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium." „In eiusmodi sensu modernistae non fidem tantum reperiunt, sed cum fide inque ipsa fide, prout illam intellegunt, revelationi locum esse affirmant . . An non revelationem dicemus aut saltem revelationis exordium sensum illum religiosum in conscientia apparentem?"

„Rudis quidem initio ac fere informis eiusmodi sensus paulatim atque influxu arcani illius principii, unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma." „Mens, illi sensui adveniens, in eundem se inflectit inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae cuiusdam diagraphen collustret, ut nitidius efferat. In eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur: primum naturali actu et spontaneo redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari, secundo

vero reflexe ac penitius . . eloquiturque cogitata secundariis sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limitioribus tamen ac distinctioribus. Quae secundariae sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent dogma." „Philosopho certum est, [has] repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas." „Addunt praeterea, formulas eiusmodi esse a credente adhibendas, quatenus ipsum iuverint."

„Fides id unice spectat, quod scientia incognoscibile sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum: scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam numquam esse posse discidium."

Haec sunt fundamenta philosophica modernismi. Inde ulterius progrediens docet, dogmata catholica, quippe quae tantum formulae sint, quibus sensus religiosi exprimantur, tantum symbola esse divinitatis incognoscibilis et originis esse humanae, immo mutabilia pro indole et cultura intellectuali aetatum. Generatim non exsistit, aiunt, religio absolute vera, sed mutabilis tantum. Neque religio christiana initio quidquam aliud fuit quam experientia religiosa Christi, qui sicut alii purus homo fuit; per aetates mutata est et varia dogmata producit. Pariter sacra Scriptura tantum expressio experientiae religiosae auctorum suorum est, sacramenta sunt symbola, quae sensus religiosos excitant. Ecclesia non a Deo condita est, sed hunc tantum finem habet, ut evolutionem religionis christianae moderetur easque experientias religiosas confirmet, quas cultura progrediens mentis humanae singulis aetatibus producit.

***Th. SS. Modernismus spectatis fundamentis suis philosophicis est moderni agnosticismi et fideismi copulatio (1. p.). Ideo simili ratione naturae cognitionis, religiosae praesertim, adversatur (2. p.) et religioni perniciem infert (3. p.).**

*308 **Demonst. 1. p.** 1. Modernismus *agnosticismum* continet, quatenus docet hominem tantum phaenomena, non autem

ordinem realem, qualis in se est, multo minus supersensibilia et religiosa cognoscere posse.

2. Modernismus *fideismum* continet, quatenus docet ex indigentia divini in subconscientia latente sensum quendam sive fidem prodire, quo homo immediate Deum apprehendat quoque Deus se homini revelet; hunc sensum ex se indeterminatum intellectu cooperante formulas quasdam effingere, quae repraesentationes symbolicae sint illius obiecti fidei, quod singulis summum et divinum esse videatur; eas formulas et sententias indoli individuorum et aetatum accommodatas ideoque mutabiles esse.

Ergo modernismus spectatis fundamentis suis philosophicis est moderni agnosticismi et fideismi copulatio.

Demonst. 2. p. a) Modernismus, quatenus *agnosticismum* 309* profitetur, dicit hominem phaenomenorum limites egredi non posse, ideo cognitiones veritatum supersensibilium, religiosarum praesertim, valore obiectivo destitui. Quod naturae cognitionis, religiosae potissimum, graviter contradicit.

b) Modernismus, quatenus *fideismum* profitetur, dicit sententias religiosas non assensu intellectuali, quae in rationibus perceptis nitatur, sed „fide" teneri, quae indoli subiecti accommodetur ideoque mutabilis sit. Atqui haec naturae cognitionis, religiosae potissimum, graviter contradicunt, prout supra de irrationalismo tractantes demonstravimus.

Ergo modernismus naturae cognitionis, religiosae praesertim, adversatur.

Demonst. 3. p. a) Religioni pernicies infertur, si doce- 310* tur veritates religiosas non posse certo cognosci, sed esse fictiones subiectivas. Sic enim religioni, quippe quae supponit veritates religiosas cognitas esse, fundamentum subtrahitur, ut igitur eam collabi oporteat. Atqui modernismus id docet. Ergo modernismus, qui se veram religionis naturam docere et tueri simulat, religioni perniciem infert.

b) Modernismus etiam propterea religioni perniciem infert, quia ad pantheismum et autonomismum ducit. Ideo enim homo in se ipso divinitatem apprehendere et fontem veritatis invenire existimat, quia divinum in se vivere persuasum habet. Revera non raro pantheismus in scriptis modernistarum se prodit.

Itaque modernismus omnem religionem perdit, etiam naturalem, quae (absque revelatione) solis viribus naturae exercetur. Multo magis *supernaturalem* religionem christianam perdit, quia omnem supernaturalitatem aufert; pro revelatione enim supernaturali Dei per legatos loquentis substituit revelationem naturalem sensus interni et pro fide supernaturali ob auctoritatem Dei loquentis ponit suam „fidem" irrationalem.

Caput VI

De fide et testimonio

Iam ad tertium et ultimum fontem cognitionum veniamus, ad fidem, qua ex testimonio alterius cognitiones haurimus. Licet hic fons ordine postremus sit, tamen spectato usu amplissimo tum in vita vulgari tum in scientiis fons cognitionum largissimus est. De eo nunc agendum est, paucis tamen, quantum ad criticam spectat.

311 **Testimonium. Fides.** Opus est, ut primum notiones, quibus in hac materia uti oportet, explicentur.

Testis, cui fides tribuitur, ille dicitur, qui aliquid a se cognitum alteri manifestat. Testis vocatur immediatus, si illud propria cognitione percepit, mediatus vero, si ab aliis accepit. *Testimonium* est actus, quo testis rem alteri refert vel, si testimonium obiective accipitur, est ipsa res relata.

Testi *auctoritas* ascribitur. Auctoritas generatim idoneitas alicuius est, ut alterum sibi obnoxium facere possit.

Auctoritas, de qua modo agitur, non est auctoritas moralis superioris in subditum, sed auctoritas logica testis i. e. eius idoneitas ad fidem faciendam; quae duabus potissimum dotibus testi inhaerentibus constituitur, scientia et veracitate. (Haec est auctoritas abstracte sumpta. Auctoritas concrete sumpta est ipse testis, quatenus dignus habetur, cui fides tribuatur.) Distinguitur auctoritas *historica* et *doctrinalis*. Auctoritas historica refertur ad testem historicum, doctrinalis ad illum, qui veritatem alicuius sententiae sive doctrinae testatur.

Fides est assensus mentis praestitus propter auctoritatem testantis. Illud, quod creditur, obiectum materiale fidei vocari solet; auctoritas vero testantis, ob quam creditur, motivum fidei vel obiectum eius formale dicitur. Itaque fides a scientia differt. In scientia enim (quatenus fidei opponitur) veritas propria cognitione absque testimonio aliorum cognoscitur.

Testimonii species. Testimonii multae formae sive spe- 312
cies distingui possunt. Praecipuae sunt hae:

1) Ratione testantis testimonium *divinum* et *humanum* distinguitur. Testimonium divinum dicitur revelatio.

2) Ratione obiecti distinguitur testimonium *doctrinale,* cuius obiectum doctrina, et *historicum,* cuius obiectum factum aliquod est.

3) Ratione medii, quo testimonium fit, distinguuntur (quae distinctio potissimum ad testimonium historicum refertur):

a) *Testimonia oralia,* quae ore fiunt, velut narratio oralis, fama, proverbia, cantus historici.

b) *Testimonia scripta* i. e. narrationes in hunc finem descriptae, ut posteris tradantur, velut inscriptiones historicae, genealogiae, calendaria, annales, chronicae, biographiae. Iis etiam testimonia picta et sculpta accenseri possunt, ut imagines historicae, chartae, sculpturae historicae.

c) *Testimonia realia* i. e. omnia illa, quae ex ipsis factis relicta sunt, sed non primum in hunc finem, ut nar-

ratio posteris traderetur; ideo testimonia latius dicta sunt, sed fontibus historicis omnino adnumerantur. Huc referenda sunt α) pura residua factorum vel materialia vel spiritualia, ut reliquiae hominum, arma, monetae, aedificia, ruinae, nomina fluminum et locorum, mores et opiniones populorum, institutiones sociales et politicae, vocabula et proprietates linguarum, orationes, epistulae; β) talia, in quibus aliqua intentio fuit factum aliquod coaevis et posteris tradendi, scilicet documenta ad iura stabilienda, inscriptiones, monumenta stricte dicta seu opera artis, quae memoriam facti transmittunt.

In historiographia testimonia, e quibus factorum notitia hauritur, *fontes* vocari solent. Licet testimonia immediata oralia maximi momenti sint, nihilominus hisce fontibus adnumerari non solent, cum in historiographia rarus eorum sit usus.

Primum de testimonio humano tractabimus, deinde de fide divina eiusque relatione ad iura libertatemque mentis humanae. Quod testimonium humanum attinet, paulo plura de historico testimonio, pauciora de doctrinali proponenda erunt. Testimonium autem historicum late accipimus tamquam narrationem cuiuslibet facti praesentis vel praeteriti, licet non sit obiectum historiographiae scientificae.

Art. 1. De testimonio historico

313 **Possibilitas acquirendae certitudinis** de factis historicis nonnumquam in dubium vocatur sive vòcata est.[1]) Obiciunt, de experientia testium immediatorum exacte constare non posse, quippe quae tota a subiectivis condicionibus testium pendeat; testimonium vero mediatum multo minus certitudinem afferre, cum teste experientia fama crescat et mutetur eundo; generatim fontes esse valde incertos, multos esse interpolatos, alios inter se contradicere; praeterea te-

[1]) Huiusmodi dubia iam inveniuntur apud *Agrippa v. Nettesheim*, De incertitudine et vanitate scientiarum (1530). *P. Bayle*, Dictionnaire historique et critique (1696).

stimonia numquam totam veritatem continere. Sed facile intellegitur et ex dicendis clarius apparebit, haec in falsum esse aucta et ostendere quidem, certitudinem historicam interdum difficilem, non autem eam impossibilem esse.

De methodologia historica. Principia suprema methodi, 314
quae in examinando testimonio historico observanda est, valde simplicia sunt. Iis breviter proponendis spectato fine nostro contenti sumus. Usurpantur tum in vita cotidiana tum maxime in historiographia scientifica, in qua tamen, quando de rebus difficilioribus et impeditis agendum est, in amplam excrescunt methodologiam, quae aetate recentiore diligenter exculta est. Methodologia historica solet tractare:

1° De *fontibus* historicis, quomodo dividantur, qua ratione inveniendi et ordinandi sint.

2° De *critica* fontium, quae in externam et internam dividi solet.

Critica *externa* in genuinitatem et externas fontium qualitates inquirit, ex quibus momentum eorum elucet, cuiusmodi sunt auctoris persona, locus et tempus, quo fontes editi sunt; quaerit praeterea, utrum fontes originales an derivati sint, et similia.

Critica vero *interna* in auctoritatem inquirit, num testis fide dignus sit.

Methodologia praeterea de *interpretatione* fontium agit, quinam sit eorum intellectus verbalis et quaenam eorum mens sit sive sensus.

3° Denique de *synthesi* factorum tractat, quomodo facta ex fontibus hausta in se interpretanda, inter se referenda et ordinanda sint.

Ad haec omnia convenienter inquirenda quaedam *scientiae auxiliares,* quae vocantur, iuvant et necessariae sunt. Praecipuae scientiae auxiliares sunt philologia, archaeologia, palaeographia, diplomatica, sphragistica, genealogia et heraldica, numismatica, chronologia, geographia.

Th. 39. Testimonium historicum orale immediatum sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit.

315 **Demonst.** Testimonium historicum orale immediatum sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit, si in certis adiunctis de scientia et veracitate testis immediati cum certitudine constare potest. Atqui saepe de his cum certitudine saltem morali constare potest. Nam

1. Si *unus* testis vel testes paucissimi adsunt, certo constare potest

a) de *scientia* testis ex eo, quod in cognitione facti errare non potuerit. Etenim imprimis sensus testantis rite dispositos fuisse, nisi specialis ratio contrarium suadet, merito supponitur. Sensus rite applicatos esse et generatim debitam diligentiam in facto inquirendo adhibitam esse, constare potest tum ex ipso facto, si facillime percipi potuit, si illustre fuit et sciendi desiderium excitavit, tum ex indole testis, quem aliunde hominem sagacem et diligentem esse constat, tum denique ex ipsa veracitate eius, cum verax dici nequeat, qui testatur aliquid tamquam sibi certum, in quod non sufficienter inquisivit. Maior utique certitudo plerumque *de substantia facti* quam de accidentalibus circumstantiis acquiritur, in quibus facilius propter defectum memoriae, propter neglegentiam aliquam, propter subiectivam interpretationem vel parvam exaggerationem error accidere potest.

b) Constare potest *de veracitate* testis immediati, quatenus compertum esse potest, eum honestate excellere et mendacium in genere detestari eumque ad hoc factum fingendum sufficientem rationem boni apprehendere non posse, sed immo forte etiam incommodum ex narratione subire. Lex enim moralis est, ut homines tales honestatis amantes sine peculiari motivo non mentiantur. Quae certitudo de veracitate augetur, si simul alii exstant, qui verum sciunt et tamen non reclamant, etiamsi eorum intersit mendacium detegere.

2. Si *multi* idem referunt, facilius certitudo acquiritur 316
tum de scientia tum de veracitate: a) de *scientia,* nam in multis simul naturalis perfectio sensuum deesse nequit nec etiam inquisitionis neglegentia in omnibus eadem ad eundem errorem concurrere potest; b) de *veracitate,* nam fieri nequit, ut multi homines indole et studiis diversi bonum aliquod in eodem mendacio inveniant eodemque bono ad mendacium permoveantur.

Haec impossibilitas moralis facile physica et reductive metaphysica evadere potest, si plurimi homines idem factum, velut exsistentiam Parisiorum, Americae, constanter referunt et si respectu facti narrati magni labores, ut constructio viae ferreae et navium, suscipiuntur. Mutua enim conspiratio, quae ad hanc deceptionem declarandam necessaria esset, sane exclusa est.

Ergo testimonium historicum orale immediatum sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit.

Obiectio. Singuli testes seorsum spectati non afferunt certitudinem; atqui si singuli certitudinem non afferunt, neque omnes simul sumpti. — *Resp.* Tr. mai. vel D. mai. non semper C. numquam N. N. min. vel D. min. si ex collectione novum certitudinis motivum oritur, scilicet impossibilitas, ut omnes *simul* decipiant vel decipiantur N. aliter C.

Th. 40. Etiam testimonium mediatum orale sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit.

Demonst. Si de testimonio mediato orali agitur, vel 1) 317
unus tantum sive pauci testes interpositi sunt inter factum et testem mediatum, qui factum refert, vel 2) ad modum traditionis oralis multi testes medii sunt. Iam vero utrumque testimonium sub quibusdam condicionibus certitudinem gignit.

1. Si solum *unus vel pauci testes medii* sunt,

a) potest mediati testis, qui narrationem ab aliis acceptam profert, tam bene perspecta esse veracitas et in narrationibus recipiendis prudentia, ut eius testimonio tuto

fidere possim et hoc magis, si multi testes mediati coordinati exsistunt;

b) vel potest testis immediatus tam bene notus esse, ut sufficiat scire testem mediatum recte retulisse, quid ille dixerit, ut certitudo habeatur.

318 2. Si *multi* testes orales interpositi sunt, ***traditio oralis*** habetur. Traditio oralis est facti narratio per testium continuam seriem ad nos usque voce (praecipue) transmissa. Talis traditio praesertim locum habet in transmissione veritatum revelatarum per prima saecula christiana, veluti illa, quae refert septem esse sacramenta vel confessionem sacramentalem a Christo institutam esse.

Etsi generatim testimonii auctoritas crescente multitudine testium intermediorum minuitur, quia, quot testes medii sunt, toties possibilitas deceptionis multiplicatur, potest tamen in nonnullis casibus, saltem si plurimi testes coordinati sunt et si factum illustre et publicum est, ex indole testimonii mediati ultimi certo constare, factum traditum saltem secundum substantiam verum esse. Etenim si factum ipsum publicum et illustre est, si plurimi, immo si multae fortasse nationes cultae et earum sapientes in substantia facti consentiunt et hanc persuasionem etiam caeremoniis publicis, monumentis, moribus celebrant, si forte insuper intensum illud studium traditionum fideliter conservandarum accedit, quod in Ecclesia antiqua viguit: talis consensus firmus et amplus neque ex fictione ortus esse neque tamdiu constanter permanere potuit, ut numquam deceptio detegeretur.

Nota. Haec igitur traditio stricte historica, quae modo declarata est, magnopere differt a traditione illa vulgari vel populari, in qua condiciones expositae plerumque impletae non sunt (Volkssage). Hae traditiones populares sine dubio non semper fide dignae sunt. Nihilominus etiam in iis plerumque fundamentum aliquod historicum latet.

Th. 41. Pariter testimonium scriptum sub quibusdam condicionibus certitudinem praebet.

Declar. 1. Testimonium scriptum per se orali testimo- 319
nio scriptoris aequivalet. Speciales tamen normae in eius usu attendendae sunt. Minor difficultas est, si de libris coaevis vel de commercio epistularum agitur. Ideo imprimis causas illas difficiliores spectamus, in quibus de documentis antiquis agitur. Sed non asserimus omnia infra exponenda in omni casu postulari, ut certitudo habeatur; immo genuinitas et integritas ad valorem testimonii ideo maxime conferunt, quia ex ea auctoritas melius cognoscitur.

Porro thesis agit de positivo testimonio scripto. Propter *silentium* scriptorum factum aliquod negare tantum licet, si omnibus consideratis manifestum est factum tale esse, ut a scriptore ignorari non potuerit, eumque de facto locuturum fuisse, si ei notum fuisset.

2. Quando de testimonio scripto agitur, distinctio supra allata inter criticam externam et internam observanda est.

1° In genuinitatem libri et in illas eius qualitates inquirendum est, ex quibus eius momentum ad testandum pendet.

a) *Genuinitas* (authentia) in eo consistit, quod liber revera illius aetatis vel personae est seu generatim illam originem habet, quam ei communiter ascribunt; quod igitur non est falsatus i. e. aliam originem non habet, quam ipse sibi vindicat, neque etiam communiter ei aliena a vera origine tribuitur. Ad plenam genuinitatem libri requiritur, ut etiam integer absque interpolatione sit.

b) Ut idoneitas fontium ad aliquid tuto firmandum clarius innotescat, praeterea etiam *aliae qualitates* examinandae sunt, scilicet 1) cui accuratiori tempori origo tribuenda sit, saepe enim libris, epistulis aliisque monumentis tempus inscriptum non est; 2) quo loco ortus sit; 3) quaenam sit indoles auctoris. 4) Investigandum est,

utrum liber sive monumentum fons originalis seu testimonium immediatum sit, an vero fons ex aliis derivatus.

2^0 De *auctoritate* testis inquirendum est, num fide dignus sit.

Si de puris *residuis* (ad fontes reales pertinentibus) sive materialibus sive mentalibus agitur, non ista, quae modo exposita sunt, sed hoc tantum attendendum est, ne plus inferatur, quam prudenter colligi potest.

320 **Demonst.** Testimonium scriptum certitudinem praebet, si constat 1^0 de genuinitate testimonii et aliis qualitatibus, e quibus eius ad testandum idoneitas colligi potest, et maxime si 2^0 de scriptoris auctoritate constat. Atqui sub quibusdam condicionibus de his certo constare potest. Ergo testimonium scriptum sub quibusdam condicionibus certitudinem praebet.

Demonst. min. 1⁰. De *genuinitate* aliisque qualitatibus cum ea conexis constare potest:

a) Ex *criteriis internis:* si liber nihil continet, quod cum lingua, dictionis charactere, opinionibus, cum statu scientiae auctoris vel aetatis illius aliunde notis non conveniat, si accuratam temporis illius notitiam ostendit etc. Ceterum criteria interna *cum prudenti moderatione* adhibenda sunt. E. g. non semper licet in eodem auctore idem constanter dicendi genus supponere vel postulare; neque ex simili modo latine scribendi, qui scriptoribus medii aevi communis est, potest auctoris identitas inferri. Certe latus campus subiectivis et arbitrariis coniecturis hic patet.

b) Multo plus valent *criteria externa.* Talia sunt: 1) si liber auctori, de quo quaeritur, a scriptoribus ei coaevis vel supparibus aut a traditione constanti adiudicatur; 2) si auctores aetati illi propinqui locos ex libro citant; 3) si exstant versiones libri, forte etiam complures et inter se independentes nec multo post librum ipsum divulgatae; 4) si adsunt codices antiqui.

De integritate libri facile constat, si autographum auctoris exstat. Si tantum apographa habentur, singulorum aetas ac fides partim ex materia (charta), characteribus, abbreviationibus et similibus, partim ex aliis testimoniis de ortu et historia codicis dignoscendae sunt.

Demonst. min. 2°. a) *Scientiam* quod attinet, respectu 321
eorum, quae scriptor ut testis immediatus narrat, ea, quae prius de teste immediato dicta sunt, valent. Respectu eorum, quae ut testis mediatus affert, attendendum est, unde scientiam hauserit et qua ratione fontibus suis usus sit.

b) *Veracitas* scriptoris cognosci potest aliquatenus ex criteriis internis i. e. ex iis, quae, et ex modo, quo scripta sunt, quinam eluceat finis scribendi, quae sit indoles scriptoris, an partium studiosum se praebeat, an in iis, quae ex aliis fontibus certa sunt, veracem se ostendat; — deinde ex testimoniis externis, quae de ipso auctore, eius vita, indole, moribus exstant.

De interpretatione. Antequam de auctoritate alicuis do- 322
cumenti quaestio fit, de vero sensu eius constare debet. Ad sensum textus difficilioris certo eruendum regulae „hermeneuticae" attendendae sunt, quarum praecipuae sunt: 1) ut habeatur cognitio linguae scriptoris et quidem talis, ut etiam significatio vocum diversis temporibus diversa probe distingui possit; 2) ut cognitio morum, legum, opinionum eius loci et temporis, cuius liber est, praesto sit; — ad quae recte iudicanda ingens apparatus disciplinarum archaeologicarum hodie praesto est.

Art. 2. De testimonio humano doctrinali

Testimonium doctrinale illud vocatur, cuius obiectum non factum, sed doctrina aliqua est. Non raro accidit, ut quis unius vel plurium doctorum virorum auctoritate tamquam efficaci argumento ad aliquam sententiam tenendam imprudenter permoveatur. E contrario etiam contingit, ut omnis fere auctoritatis vis contemnatur. Quare paucis vis auctoritatis doctrinalis circumscribenda est.

Auctoritas doctrinalis duplex esse potest, auctoritas personalis unius vel plurium hominum et auctoritas generis humani.

323 1. **De auctoritate doctrinali personali.** Potest fieri, ut quis tantum moveatur rationibus, quas testis doctrinalis affert, non autem ipsa eius testificatione, quod nempe testis rem veram habeat veramque esse testetur. Talis non movetur auctoritate. Quaestio proposita refertur ad ipsam auctoritatem, num et quando certitudinem praebeat praecisione facta a rationibus allatis.

1. Testimonium doctrinale peritorum, praesertim si omnes vel plurimi consentiunt, doctrinae plerumque veram *probabilitatem* conciliat et sapientissimum quemque ad seriam eius considerationem excitare debet atque ad cautam providentiam, ne facile doctrinae a multis receptae contradicat. Atque ille, qui in eadem re *imperitus* est vel ipse inquirere nequit, testimonium peritorum prudenter sequitur et sequi debet; peritis enim in sua arte credendum est. Probabilitas alicuius sententiae crescit pro auctorum, qui eam tuentur, numero, doctrina, mutua independentia. Ceterum recte moneri solet, non numerandos esse auctores, sed ponderandos.

324 2. Testimonium autem doctrinale humanum *vix unquam certitudinem* praebere potest, nisi sit infallibilis ex assistentia divina. Nam

a) In rebus doctrinalibus homines *facile errant* et quidem non singuli tantum, sed etiam multi, et certe multo facilius, quam si agitur de factis observatis testificandis.

b) *Historia* teste scientiis multi errores admisceri solent, in multis viri doctissimi non consentiunt nec ipse consensus peritorum necessario ab errore immunis est, ut exempla satis ostendunt.

c) Idem fuit semper sapientium iudicium. *S. Thomas* dicit: „Iuxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri sui dicit, quod oportet magis de veritate curare, quam de aliquo alio. Et alibi dicit:

Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas. Et in alio loco: De Socrate quidem parum est curandum, de veritate multum."[1]) „Licet locus ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, quae fundatur super revelatione divina, est efficacissimus."[2]) Et *S. Augustinus:* „Neque enim quorumlibet disputationes", inquit, „quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet divino adiutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum."[3]) „Solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem in scribendo aliquid errasse firmissime credam. . . Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt."[4])

Quodsi quis alterius doctrina uti voluerit, non ut ei credat, sed ut ipse scientiam sibi comparet, non utique auctoritas, sed auctoritatis rationes attendendae sunt. Ibi obtinet illud: tantum valet auctoritas, quantum rationes.

II. **De auctoritate generis humani.** Est praeterea aliud 325
testimonium doctrinale, consensus generis humani. Inveniuntur enim quaedam sententiae, in quas homines universali consensu conspirant; quarum pleraeque tales sunt, ut communis in iis affirmandis conspiratio explicari nequeat, nisi admittatur homines natura ipsa rationali ad ita iudicandum inclinari. Eiusmodi iudicia sunt: homo liber est, anima post mortem corpori superstes manet, exsistit numen supremum, malum vitandum est, parentes honorandi sunt, et alia.

---

[1]) In Arist. Ethic. I l. 6. — [2]) 1 q. 1 a. 8 ad 2. — [3]) Epist. 148 ad Fortunat. c. 4. — [4]) Epist. 82 c. 1. (ad Hieron.) M. PL. 33. col. 277.

Haec dici solent *iudicia sensus communis* naturae. Sensus communis nihil est nisi intellectus, quatenus in cunctis hominibus ad illa iudicia cum certitudine naturali tenenda suapte natura inclinatur; ideo ab errore necessario immunia sunt. Quod sequens thesis uberius exponere intendit.

Th. 42. Consensus generis humani sub quibusdam condicionibus certum veritatis testimonium est.

326 **Declar.** Itaque asserimus, iudicia universali consensu asserta, si quibusdam qualitatibus affecta sint, non aliam originem habere posse nisi naturam rationalem ideoque certa esse.

Demonst. 1. Inveniuntur in genere humano iudicia universalia, quae a) firma et indelebili persuasione ab omnibus gentibus cultis et incultis tenentur quaeque b) cum vita humana sociali, morali, religiosa essentialiter conectuntur in eamque vehementer influunt. Eiusmodi sunt iudicia, quae supra attulimus. *Atqui* talia iudicia nequeunt esse falsa, sed tantum ex veritate ab omnibus perspecta declarari possunt. Ergo consensus generis humani sub quibusdam condicionibus certum veritatis testimonium est.

Demonst. min. Falsitas horum iudiciorum rationem sufficientem non haberet, proinde impossibilis est ideoque iudicia vera sunt. Sane ratio sufficiens aut esset bonum peculiare, propter quod voluntas intellectum ad assensum determinaret, aut essent rationes apparentes, praesertim deceptio sensuum, quae intellectum ad errorem seducerent. Atqui neutrum dici potest. Etenim

a) *Bonum*, quod omnes ad hanc persuasionem moveret, aliud non esset nisi vita sensibus amoena, cui hanc veritatem favere perciperetur; alia enim bona, quae apud omnes gentes educatione, moribus, legibus, praeiudiciis, indole naturae inter se differentes hanc persuasionem eandem efficerent, excogitari nequeunt. Illud autem bonum imprimis plerumque ostendi potest non adesse, immo multae illarum

veritatum incommodae sunt, velut exsistentia Dei, malorum vindicis, libertas voluntatis; deinde non posset esse ratio sufficiens persuasionis tam firmae ac indelebilis apud omnes, etiam cultos et honestate excellentes.

b) Neque solae *rationes apparentes* praesertim deceptio sensuum, causa talis consensus esse possunt. Nam deceptio sensuum locum non habet. Praeterea generatim rationes apparentes et fallaces consensum tam firmum et universalem in aliqua re, quae, utpote cum vita essentialiter conexa, continuam mentis attentionem in se convertit, producere non possunt.

Ergo eiusmodi consensus non aliter declarari potest, nisi quod vox naturae est i. e. rationem habet in sola natura rationali, quatenus nimirum ex cognitione evidenti intellectus oritur.

2. *Alio modo.* Homo ad haec iudicia indelebilia et 327
universalia formanda, quae ad fundamenta necessaria vitae humanae spectant, inclinatione et motu naturae rationalis impellitur; ex aliis enim causis, accidentalibus et apud diversos diversis, talis consensus declarari nequit. Iam vero universali inductione constat eiusmodi inclinationem naturae numquam fallacem esse. Sic instinctus animalium, quo v. g. autumno ad novas regiones petendas impelluntur, non invenitur esse fallax. Multo minus igitur inclinationes naturales humanae naturae inter omnes visibiles nobilissimae, quibus in obiecta vitae necessaria fertur, fallaces esse possunt, ut natura humana mendax dicenda esset. Ergo in his iudiciis non potest esse falsitas ideoque consensus generis humani sub quibusdam condicionibus certum veritatis testimonium est.

Obiectio. Fuit etiam consensus communis et constans de cursu solis circa terram et tamen erroneus fuit. — *Resp.* D. et hic consensus praeditus fuit condicionibus in thesi suppositis N. aliter Tr.

Art. 3. De fide divina

Rationi falsis praeiudiciis non praeoccupatae dubium 328
non est, quin, si unus homo alteri cogitationes suas com-

municare potest, multo magis Deus hominibus veritates revelare eosque ad fidem iis praestandam obligare possit. Atque revera hominibus revelationem dedit communicando eis amplissimum veritatum religiosarum thesaurum, quem simul infallibili Ecclesiae magisterio custodiendum commisit.

Haec quidem ex fontibus theologicis demonstrare philosophiae non est. Attamen unum philosophia potest et hoc tempore debet agere, ut videlicet ostendat, obligationem credendi naturae, dignitati et iustae libertati mentis humanae non esse contrariam. Plurimi enim fidei oboedientiam menti iniuriosam esse conclamant. Mentem debita libertate privari dicunt, quoniam, veritatibus credendis praescriptis, iam veritatem libere inquirere non possit, atque dignitate privari, quae vetet sine propria persuasione veritates tenendas simpliciter extrinsecus accipere.

Th. 43. Fidei obligatio non contraria, sed admodum consentanea est iuribus rectaeque libertati mentis humanae.

329 **Declar.** Accusationes contra fidem prolatae fere in hanc formulam redigi possunt: fides adversatur naturae et iuribus rationis, quae debita libertate in cogitando privatur, quatenus ei per auctoritatem externam veritates absolute tenendae praescribuntur. Iuvat igitur notionem libertatis cogitandi paucis exponere.

Libertas universim intellegitur immunitas a ligamine vel impedimento, praesertim a tali ligamine, quod operationem alicuius facultatis impedit. *Libertas cogitandi* igitur, si tantum vis vocis attenditur, est libertas intellectus ab impedimentis seu vinculis, quibus in cogitando impeditur seu ligatur. Peculiaris quaedam libertas cogitandi est libertas *scientiae* seu scientificae rerum inquisitionis et tractationis. Attamen nemo prudens immunitatem ab omni vinculo postulat; a vinculis enim veritatis mens immunis esse nequit. Itaque possunt esse vincula debita, quae naturae intellectus conveniunt, et indebita, quae ei repugnant. Postulatio autem libertatis cogitandi certe tantum ligamina

et impedimenta *indebita* respicere potest; quod facile ipsi etiam fervidi eius defensores concedent. Quaestio igitur urget, quaenam sint debita et quae indebita ligamina. Ex fine intellectus cogitantis quaestio dirimenda est. Iam vero intellectus ex natura sua ad veritatem assequendam et hanc solam ordinatur. Hinc libertas cogitandi (seu potius postulatio eius) distinctius definiri potest: postulatio, ne intellectui *impedimenta (externa) seu vincula imponantur, quae eum in assecutione et professione veritatis impediunt,* ne igitur cogatur aliquid ut verum amplecti, de cuius veritate ipsi constare nequit, neve impediatur a scrutandis veritatibus, quas cognoscere potest vel debet, neve impediatur, quominus veritatem clare cognitam tenere possit.

Atque hanc libertatem mens *merito* postulat, ut facultatem cogitandi sibi insitam explicare, ut finem suum nobilissimum, veritatis assecutionem, obtinere possit itaque profectus generis humani intellectualis in laudem creatoris magis magisque augeatur. Non igitur haec est quaestio, sitne libertas concedenda, sed tantum, *quaenam* sit ista libertas.

Demonst. 1. Obligationem fidei non esse contrariam 330
iuribus rectaeque libertati mentis clarum fit ex brevi declaratione una ex parte obligationis fidei, altera ex parte naturae intellectus.

Fides divina, qualis in s. Scriptura et traditione describitur, intellegitur assensus firmus intellectus in veritatem propter auctoritatem Dei revelantis. Obligatio igitur fidei postulat, ut, postquam quis certo cognovit Deum locutum esse, doctrinam revelatam firmo assensu ut veram amplectatur. Non est huius loci investigare, num et qua ratione fideles certitudinem de revelatione divina acquirere possint. Notare sufficiat (dummodo concedatur exsistentia Dei) Deum posse veritates ita revelare, ut homines facile cognoscere queant revelationem factam ideoque credendam esse, propterea adversarios, qui a priori obligationem fidei recusant, supponere debere, revelationem divinam impossi-

bilem esse (alioquin dubium non est, quin homo credere teneatur), id autem tunc tantum eos supponere posse, si atheismum profiteantur. *Intellectus* autem a natura veritati destinatus est. Non igitur aliud ius habet, nisi ut postulare possit, ne a veritatis cognitione arceatur, non aliam libertatem habet, nisi ne impediatur ab inquirendis et tenendis veritatibus, quas cognoscere potest vel debet. Iam vero ex his clarum est, obligationem fidei iuribus rectaeque libertati mentis non esse contrariam, sed consentaneam.

Profecto ius mentis in veritatem non laeditur per hoc, quod ei divinitus veritas offertur et comprobatur cum certa huius testificationis notitia. Neque recta impeditur mentis libertas in inquirenda et assequenda veritate per hoc, quod obligatur ad amplectendam certam veritatem, quam igitur scit cum nulla alia veritate seu scientifica doctrina certa umquam pugnaturam esse. Ergo fidei obligatio non contraria, sed admodum consentanea est iuribus rectaeque libertati mentis humanae.

Per hanc obligationem mens quidem subicitur auctoritati, sed auctoritati infallibili et divinae, cui omnis mens creata subiecta esse debet; ligatur intellectus, sed per veritatem; restringitur libertas, attamen libertas non ad veritatem inveniendam, sed ad errorem amplectendum, quam libertatis restrictionem singulae scientiae ab aliis scientiis patiuntur, quae iis certas veritates ostendunt, quas negare non liceat.

2. Fides divina naturae humanae etiam propter has rationes consentanea est. a) Homo etiam in aliis rebus plurimis fidem habere debet: puer credit parentibus, discipulus magistro, iudex testibus, rex consiliariis; sine fide vita et profectus impossibiles essent. b) Eo magis igitur convenit, ut, si homo hominibus fidei obsequium praestet, id praestet etiam creatori et veritati infallibili; ita ipse etiam honoratur acceptando veritatem a Deo teste. c) Denique mens humana in rebus illis cognoscendis, quae obiecta revelationis sunt, magna laborat infirmitate et obscu-

ritate, ut gratulari sibi debeat, quod revelatione divina ex erroribus eripitur, a dubiis liberatur, ad veritates supremas cognoscendas elevatur.

Obiectiones. 1. Quod ligat, aufert libertatem; atqui fides ligat; 331
ergo aufert libertatem. — *Resp.* D. mai. quod ligat ligamine indebito C. debito Sd. aufert debitam libertatem N. indebitam C. Leges civiles, regulae urbanitatis, civilisationis, culturae, regulae aestheticae, logicae ligant et ita ligati minorem libertatem externam habent quam homines effrenati. Nihilominus simpliciter liberi dicuntur, utpote tantum privati indebita libertate feritatis, quae coniuncta est cum dura ligatione interna cupiditatum.

2. Intellectus iure postulat, ut persuasionem propriam sibi comparare possit; atqui per obligationem fidei imperatur assensus sine propria persuasione; ergo laeditur mentis ius. — *Resp.* D. mai. i. e. ut nihil affirmare teneatur, nisi quod verum esse videat sive propria perspicientia sive per auctoritatem, quam veracem esse perspicit C. ut nihil affirmare teneatur, nisi quod sola propria perspicientia verum esse videat N. Sicut de veritate factorum historicorum propriam persuasionem habemus ex testimonio aliorum, ita etiam de veritatibus fidei.

3. Intellectus exigere potest, ut ei examinare liceat, quae credere debet; atqui veritates fidei examinare non licet; ergo ius mentis laeditur. — *Resp.* D. mai. ut examinet cum dubitatione seria vel methodica C. cum seria tantum N. Confer n. 13.

4. Oboedientia fidei magnum potest scientiis detrimentum inferre, quia a multis inquirendis et admittendis hominem prohibere potest, quae vera esse postea detegitur (ut accidit Galilei). — *Resp.* N. ant. D. rat. add. prohibere potest auctoritas mere privata (quae fidei oboedientiam imponere nequit) N. auctoritas legitima Sd. per infallibilem sententiam (quae ligat quidem, sed tantum ad verum) N. per non infallibilem (alicuius Congregationis) Sd. prohibet a doctrinis iam certo probatis N. (numquam id accidit); ab hypothesibus admittendis in se veris quidem, sed adhuc dubiis Sd. saepe id accidit N. rarissime et ita, ut veritate clarius demonstrata prohibitio tollatur et detrimentum hoc parvum abunde compensetur efficaci illa veritatum summarum custodia, quam magisterium Ecclesiae in genere humano exercet C.[1])

---

[1]) Uberius de his et sequentibus tractat *Donat*, Die Freiheit der Wissenschaft[3] 1925.

Th. 44. Libertas cogitandi et scientiae ita accepta, ut a modernis eius defensoribus intellegi solet, cum natura intellectus et veritatis pugnat (1. p.) et, coniuncta praesertim cum libertate docendi et scribendi, valde perniciosa est (2. p.).

332 **Declar.** *Libertatem cogitandi* modo definivimus immunitatem ab indebitis impedimentis in cogitando eamque diximus merito postulari neque ei obligationem credendi obstare. Sed alia est libertas cogitandi, quam moderni postulant. Non quidem recusant definitionem statutam. Sed addunt praeterea suppositionem, omnem auctoritatem externam impedimentum et vinculum indebitum esse. Hac facta suppositione libertatem cogitandi intellegunt immunitatem intellectus in cogitando *ab omni auctoritate* externa, ab auctoritate igitur fidei (divinae), Ecclesiae, reipublicae, etiam ab auctoritate morum et traditionis universalis humanae. Hanc libertatem postulant imprimis in quaestionibus religionis et philosophiae. (Magna enim evidentia, quae in rebus ad experientiam pertinentibus adesse solet, libertati in his rebus locum vix relinquit.) Practice igitur *exerceri* solet libertas cogitandi tamquam ius hominis, ut possit contra fidem christianam, auctoritatem Ecclesiae et contra veritates religiosas seu philosophicas communiter receptas omnia statuere, quae ipsi visa fuerint.

Libertas scientiae est peculiaris quaedam libertas cogitandi, libertas scilicet inquisitionis scientificae. A modernis eius defensoribus intellegitur similiter immunitas ab *omni* auctoritate externa. Practice pariter tamquam ius exerceri solet, ut in scientiis contra fidem, propositiones Ecclesiae, contra receptas veritates religionis naturalis omnia sive ad modum thesium sive hypothesium statui possint, quaecumque statuenda visa fuerint. Fere eadem est *libertas investigationis scientificae,* quae dicitur[1]), qua postulatur, ut mens humana, libera ab omni ligamine auctoritatis, in studiis „scientificis" omnia in dubium serium vocare et, si visum fuerit, etiam negare possit. Scientia igitur dicitur nulla auctoritate obli-

[1]) Freie Forschung.

gari, ut quaedam tamquam vera et indubitata teneat sive supponat.[1])

Haec est libertas cogitandi et scientiae *presse* sumpta. Sed plerumque notio utriusque ita extenditur, ut in cogitandi et fere semper in scientiae libertate etiam simul *libertas docendi includatur;* ut igitur libertas cogitandi et scientiae duas partes complectatur, libertatem inquirendi seu opinandi et libertatem docendi.

Libertas docendi intellegitur immunitas ab indebitis impedimentis in docendis seu communicandis, ore vel scripto, propriis doctrinis et sententiis. *Inquisitio* ut talis veritatem subiecto investiganti acquirere intendit, proinde activitas privata est. Actio vero *docendi* functio socialis est, quia opiniones communicatae etiam in mentes voluntatesque aliorum influunt. Nihilominus etiam libertas docendi solet illimitata postulari, maxime a professoribus universitatum, ut nempe in docendo tantum „methodo scientiae" suae teneantur, immunes autem sint ab omnibus vinculis auctoritatis externae, quippe quae sint impedimenta indebita; ut igitur publice aliis omnia vel saltem quaelibet doctrinae „scientificae" proponi possint, etsi contrariae sint fidei, contrariae dogmatibus Ecclesiae sive religioni naturali. In hac igitur libertate docendi recte aestimanda maxime bona socialia attendenda sunt, quae in magnum discrimen veniunt.

Radix ultima huius immoderatae cogitandi scientiaeque 333
libertatis est falsa et veritati christianae opposita aestimatio naturae humanae. Homo non iam habetur ens undequaque limitatum, creatum, dependens, sed fere ens absolutum et independens, quod sibi ipsum sit ultima lex in cogitando et agendo, ipsum sibi finis et propriae perfectionis fons; quae opinio in moderno pantheismo naturalem suam formam adepta est. Haec falsa aestimatio hominis eiusque libertatis ex tempore reformationis paulatim orta est, quippe quae hominem ab auctoritate religiosa emancipavit; postea re-

[1]) „Voraussetzungslosigkeit".

volutio gallica plenam hominis independentiam proclamavit, cuius principia liberalismus saec. 19 in vita politica, sociali, oeconomica in opus deducere conatus est. *Propinquior radix* huius modernae in cogitando libertatis sunt falsa de cognitione humana principia subiectivismo et agnosticismo propria. Quae docent hominem ipsum sibi formare ordinem veritatis, maxime in rebus supersensibilibus, quae non tam rationis quam subiectivae „fidei" sint obiecta, immo veritatem esse mutabilem et relativam, ut igitur nemo teneatur cuidam absolutae veritati obiectivae se subicere.

334 **Demonst. 1. p.** 1. Omnis cognitio ex natura sua est similitudo intentionalis obiecti a se independentis, cui proinde tamquam normae se conformare debet. Ergo intellectus, quia eius finis est cognoscere, in cogitando tum in scientiis tum extra scientias subiectus est immutabili veritati obiectivae ut normae et unicus eius finis est, ut huic *veritati se conformet,* quomodocumque ei se manifestat, sive propria ratiocinatione sive auctoritate divina vel humana. Omnis proinde mentis cogitatio, quae contra hanc dependentiam offendit, naturae intellectus et veritatis repugnat et apostasiam a veritate involvit. Praeterea intellectus *facillime errat,* maxime in rebus metaphysicis et religiosis. Conceptus eius imperfecti et saepe valde confusi sunt, ut facile permisceantur, mens continuo experitur vim inclinationum subiecti proprii et falsarum opinionum aliorum. Etiam scientia, quippe quae nihil est nisi activitas mentis humanae, easdem participat infirmitates. Ideo mens, nisi a fine suo deficere velit, cautissime in iudicando progredi debet: solum iudicabit, quando inclinationibus non impeditam se sentit, quando scit se parem esse rei propositae perspiciendae et quaestionem se sufficienter examinasse; libenter ab aliis docebitur; persuasiones communes et traditiones antiquas maxime habebit nec umquam auctoritati divinae vel infallibili humanae contradicet. Aliter enim contra unicum finem suum offendit et contemptus veritatis ream se facit. *Atqui* si haec ita se habent, libertas cogitandi tamquam potestas,

ut intellectus adversus quamlibet auctoritatem, licet divinam et infallibilem, omnia amplecti possit, quae visa fuerint. repugnat naturae intellectus et veritatis, praesertim si simul modus saepe admodum frivolus spectatur, quo exerceri solet. Nihil aliud est nisi apostasia a veritate, non libertas, sed licentia, illi similis, quam puer indomitus sibi vindicat. Ergo libertas cogitandi et scientiae ita accepta, sicut a modernis eius defensoribus intellegi solet, cum natura intellectus et veritatis pugnat.

Ideo veteres *scholastici*, persuasum habentes intellectum finem unicum veritatem habere et facile labi, religiosam veritatis aestimationem et studium prae se ferebant, quae se manifestabat in traditionum veterum veneratione et diligenti methodi scholasticae usu. Atque haec sola sunt principia verae sapientiae.

Speciatim libertas ab obligatione fidei divinae (sive im- 335
mediate divinae erga Deum sive mediate divinae erga Ecclesiam a Deo institutam) naturae humanae et principiis rationis valde contraria est. Homo enim, a Deo creatus, Deo subiectus est in omni sua activitate, proinde etiam in cogitando et in cultu scientiarum, ut igitur Deo revelanti et fidem postulanti fidem detrectare contrarium sit naturae et rationi. — Porro haec libertas aut supponit impossibilem esse revelationem divinam et impossibilem institutionem magisterii humani infallibilis, quod tantum ille admittere potest, qui atheismum supponit — aut formaliter statuit, ne auctoritati quidem infallibili, sive divinae sive humanae, quae igitur cum certitudine veritatem praebet, credendum esse, quod aeque absurdum et impium est.

2. *Aliter*. Moderna immoderata libertas cogitandi et 336
scientiae

a) *contra prima scientiae principia* offendit. α) Primum est, ut scientia rectam veritatis et mentis notionem teneat; subiectivismus autem, istius libertatis parens, hanc notionem pervertit. β) Vera scientia rectam naturae humanae notitiam habet et propterea scit, mentem sedulo custodiendam esse

ab inordinatis cupiditatibus, quae eam in servitutem redigunt; individualismus autem libertatis modernae e contrario tenet, in quaestionibus gravissimis normam esse indolem individualem, cui accommodanda sit vitae philosophia ac religio, atque hac ratione mentem „liberam" durioribus vinculis propriarum cupiditatum innectit. γ) Genuina scientia gravissimas veritates religiose tractat easque tractandas non committit nisi hominibus maturitate, experientia, modestia insignibus et venerandas traditiones sequendas esse tenet; individualismus autem hominibus quibuslibet, vitae, morum, experientiae maturitate destitutis, permittit, ut in his rebus leves hypotheses construant easque sanctissimis generis humani traditionibus audacter opponant. δ) Cum de sanitate et integritate corporis agitur, pericula caute vitantur; conceditur etiam integritatem morum ob fragilitatem humanam caute esse custodiendam a periculis. Attamen, non obstante notissima imbecillitate intellectus humani, in quaestionibus maximi momenti leviter et superbe recusatur gravissimarum auctoritatum gubernatio, iis contradicitur, post leve examen statuitur non tam id, quod intellectus videt, quam quod inclinationibus congruit. In quo magna sita est neglectio et contemptio veritatis.

b) Haec libertas, maxime quatenus est libertas investigationis scientificae, falso supponit, in quaestionibus supremis religionis et philosophiae *veritatem nondum inventam* et manifestam esse neque igitur genus humanum generatim tuto has veritates invenire posse nec Deum per revelationem ei providisse. Si enim veritas inventa et manifesta est, nulla iam libertas est aliud opinandi.

c) Denique errores *subiectivismi, agnosticismi,* relativismi, fideismi, in quibus moderna postulatio libertatis plerumque innititur, plenam defectionem a veritate obiectiva continent.

Ergo libertas cogitandi et scientiae ita accepta, ut a modernis eius defensoribus intellegi solet, cum natura intellectus et veritatis pugnat.

Demonst. 2. p. Libertate cogitandi, si praeterea docendi et publice scribendi libertate augetur, a) necessario labefactantur omnia principia vitae humanae; — b) effrenis levitas intellectualis et moralis et in cogitando anarchismus consequuntur; haec nostra aetate ubique cernimus, ubi de rebus philosophicis, religiosis, moralibus agitur. — c) Ita haec libertas non tantum perniciosa est illi, qui eam in se fovet, sed maxime etiam aliis, qui docentur, quippe qui difficile audita dubia solvere, vera a falsis secernere possunt et cupiditate homini innata ad ea amplectenda inclinantur, quae gratius blandiuntur, cum veritatis, felicitatis, honestatis detrimento. — d) Ideo mirum non est, quod fructus huius libertatis tristissimos videmus. Munus est scientiarum, ut idealia generi humani bona aestiment et conservent. Scientia libertate moderna directa omnes fere veritatum sanctissimarum thesauros amisit atque confregit: theologia protestantica liberalis fundamentales religionis christianae veritates perdidit, ut nihil fere praeter nomina relinquatur, philosophia vero moderna vix non omnes veritates religionis naturalis, quas antiquitas gentilis venerata est, perdidit, Deum personalem, animam substantialem, libertatem, immortalitatem, absolutas leges morales, immo et leges cogitandi, usque ad scepticismum et plenam cogitandi dissolutionem. — Hinc tantum abest, ut libertas cogitandi principium veri progressus sit, id quod asserunt, ut potius dissolutionem culturae intellectualis et moralis secum ferat. 337

Ergo libertas cogitandi et scientiae moderna, coniuncta praesertim cum libertate docendi et scribendi, valde perniciosa est.

Obiectiones. 1. Activitati, quae non tam rationalis et cognoscitiva, quam potius affectiva est, non sunt imponenda dogmata intellectualia, quae tamquam vera teneat. Atqui fides est talis activitas. — *Resp.* C. mai. N. min. Si fides christiana non persuasio intellectualis, sed talis „fides“ moderna esset, profecto obligatio dogmata credendi imponi non posset. 338

2. Scientiae errores suos ipsae paulatim corrigere solent; ergo sibi ipsis relinquendae sunt sine doctrinarum prohibitione. — *Resp.*

D. ant. in rebus empiricis et historicis errores suos corrigere solent C. in philosophicis et religiosis, saltem mox N. Cd. cons. si errores mox corrigere solent Tr. sin minus Sd. si simul agitur de gravissimo damno aliorum N. aliter Tr. Confer etiam Eth. II n. 557 ss.

3. Qui scientias colunt, munus sibi deputatum habent, ut pro genere humano veritatem inquirant et communicent, quod sine plena libertate fieri nequit. — *Resp.* D. in iis rebus naturalibus, quae vulgari cognitioni non patent C. in quaestionibus principalibus vitae humanae et religionis N. Cf. n. 100 ss.

4. Doctrinas prolatas unusquisque examinare et sic a falsis sibi cavere potest; atqui si id verum est, concedenda est libertas docendi. — *Resp.* N. mai. N. min.; etenim etiam ibi, ubi facultas examinandi non deest, gravissimum manet periculum, ne inordinatae hominum cupiditates errorem veritati praeferant.

Mens autem humana, ad imaginem Dei facta, veritati assequendae destinata est, ut in ea tamquam in speculo opus Dei eiusque Creator reluceat, imperfecte quidem in hac, perfectius vero in vita meliore,

Deus, qui est ipsa Veritas.

~~160.2~~ 115
~~D.715~~ D715
2128
DONAT, Jos.
AUTHOR
Critica - - Summa I I - - Ed 6 a
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FR. DONOVAN
2128